

Google





VITALIS BLESENSIS

AMPHITRYON ET AULULARIA

ECLOGAE.

EDIDIT

FRIDERICUS OSANNUS,

PROFESSOR GISSENSIS.

DARMSTADII

SUMPTIBUS EDUARDI HEIL.

MDCCCXXXVI.

C. AUG. L. FEDERO

AMICO.

PRAEFATIO.

Autumno proximo quum per otium, quod feriae academicae suppeditabant, Darmstadium me contulissem, ibique in bibliotheca omni litterarum supellectile munificentia Principum nostrorum largissime instructa C. Aug. L. Federum, qui thesauro illi litterarum praefectus est, salutassem: quum de aliis rebus, quae ad litteras bonas pertinent, mox inter nos sermo factus est, tum etiam de iis veterum scriptis, quae edente Ang. Maio Auctorum classicorum Tomo V nuper admodum lucem vidissent. De Virgilio Marone Proboque grammaticis, quorum opuscula ibi primum edita, postquam narraveram in Symbolarum litterariarum mearum Tomo altero, quod sentirem, propediem me expositurum esse, incidimus in illud serioris aetatis carmen, quod nomine *de Amphitryone et Alcmena poematis* ibi pag. 436 vulgatum est. Quod carmen propter festivam argumenti expositionem et laudabilem elocutionis versuumque nitorem haud quaquam mihi displicere quum Federo meo significarem, is codice quodam Darmstadiensi idem servari illico me monuit, et quidem uno alterove loco integrius; quod quam verum esset, allato sine mora codice confirmatum vidi-

mus. Diligentius vero eo cum Maii exemplari collato intellexi, non uno sed permultis locis lacunas, quae in carmine typis impresso reperiantur, egregie expleri, praetereaque omnem verborum scripturam turpissimis vitiis laborantem emendari. Itaque consilio statim capto, per otii mihi concessi opportunitatem, poematis novam editionem principe auctiorem limatioremque adornandi, Federus, qua est humanitate non solum mihi sed omnibus qui norunt satis spectata, non modo annuit, sed laborem sine cunctatione inceptum opera sua et consilio ita adiuvit, ut non alienum, sed suum opus factitare videretur: haec enim est viri egregii indoles, ut aliis magis quam sibi prodesse natura sua impellatur. Atque Federo, operi incepto quid adiumenti esse posset sollerter circumspicienti et anquirenti, fortuna favit. Contigit enim primum, ut, penso fere iam absoluto, inter eiusdem bibliothecae thesauros etiam alter codex reperiretur, fine quidem mutilus, in reliqua vero opusculi parte integritate scripturae altero haud deterior; unde totus iam labor meus denuo instaurandus hunc certe fructum tulit, ut carmen innumeris locis correctum, quinquaginta et amplius versibus auctum, nova paene forma nunc in lucem emitti possit. Praeterea, post primam denique poematis plagulam anno proximo typis descriptam, ipsum etiam auctoris nomen, et Maio desperandum visum, et multis iam ante seculis ignoratum, tamen non nuper a Iannellio tantum ex codice Neapolitano vindicatum, sed locupletiore quoque Medicei dudum inter Bandinianos testimonio servatum deprehendimus; unde factum est, ut omnis fere opella mea iterum retractanda alterius insuper carminis ab eodem auctore profecti accessione augeretur.

Verum de aetate auctoris et nomine nunc expositurо mihi testimonia duo, quae de poeta nostro bibliotheca Darmstadiensis peropportune suppeditavit, ante omnia sub examen vocanda videntur.

Ac prius quidem legitur in opere Ieremiae, ut opinor, raro et parum cognito, cuius unicam, quod sciam, editionem [1] inspicere mihi non licuit. Sed praesto fuit aliud eiusdem operis exemplar manu a. 1410 exaratum in Codice Darmstadiensi, ita inscriptum: „Compendium moralium notabilium compositum per Ieremiam iudicem de Montagnone civem Paduanum.“ Ibi in syllabo auctorum, ex quibus Ieremias syntagma suum compilasse profitetur, operi praefixo haec deinceps nomina leguntur:

„Versificator fabularum esopi
Iohannis Solobriensis [2] anglicus
Auctor libelli qui dicitur facetus
AUCTOR LIBELLI qui incipit GRAECORUM STUDIA
Auctor rudium doctrine
Baldo versilogus
Hugo de sancto Victore religiologus
Bernhardus religiologus
Balterius [3] de Castellione versilogus
Matheus Vindocinensis doctor grammat.
Gaufredus anglicus versilogus. [4]“

1) Venetiis a. 1505 hoc titulo prodiit: „Epytoma sapientie s. Compendium etc. compositum per Hieremiam . . . impress. impens. P. Liechtenstein.“ Maitt. II, 172; Panz. VIII, 377.

2) *Sarisberiensis.* Sed eandem illam nominis formam habet alius eiusdem operis codex, quem Federuis Regii Lepidi inspexit.

3) *Gualtherus.*

4) Poeta circa initia saec. XIII. quum aliis carminibus, tum maxime

Parcissime tamen carmine nostro, quod quarto loco laudatur, usus esse videtur; siquidem unum carminis distichon, quod vs. 215 legitur, diligenter perlustranti Federo excerptum sese obtulit, Part. IV. lib. 4. tit. 18, qui „de munditia, pulcritudine et ornatu humani corporis“ agit. Auctoris quidem nomen Ieremias, qui a. 1300 vita decessit, ignorasse videtur; ceterum, in syllabo scriptorum haud temere, sed, ut ipse ait,[5] secundum temporum rationem confecto post Iohannem quidem Sarisberiensem, sed ante Hugonem tamen (nam de reliquis difficilior quaestio est) collocans, saeculum ei XII fere medium adsignasse putandus est.

Alter locus exstat in eiusdem Matthaei Vindocinensis, ex quo permulta Ieremias adsumpsit, libro *Aequivocorum* nomine inscripto, qui rursus in codice Darmstadiensi miscello forma quarta in membrana scripto conservatur.[6] Ibi fol. 141. a, ubi de v. *lentus* agitur, leguntur: „. . . quandoque piger. Unde Ovidius Epistola (Heroid. 1, 1): *Hanc tua Penelope lento tibi mittit Uluxe* (sic), et in Geta: *Birria quid nimis est lentus asellus erit*“, qui est Amphitryonis versus 168.[7] Quo loco id valde memorabile, quod versus ille ita affertur ac si Ovidii

---

Poetria nova, poemate hexametris ad Innocentium III. papam scripto clarus. cf. Fabricii Bibl. Lat. med. et infimae aetatis Lib. VII. p. 35 ed. Hamburg.

5) Syllabo praemittuntur haec verba: „Nomina autorum vel librorum, ex quibus compilatum est hoc compendium secundum ordinem etatum.“

6) Praeter hunc codicem, alios qui illud opus exhibeant, non novi quam qui in Britaniae bibliothecis quibusdam adservari dicuntur. Cantabrigiensis laudatur in *Histoire littéraire de la France*, T. XV. p. 427, ubi de vita et scriptis Matthaei fuse exponitur.

7) Praeter Ovidium, qui quavis fere pagina recurrit, hos scripto-

esset; *Getam* enim ipsius carminis inscriptionem complurium codicum subscriptiones exhibent, de quibus infra dicetur: neque ea male omnino habet, quum Getae servo primae, Amphitruoni vel Alcumenae secundae partes a poeta datae sint. Quod vero carminis auctor Ovidius exhibetur, id ex consono cognomine *Getae*, quo Ovidium a grammaticis quibusdam perperam appellatum fuisse Casp. Barthius, Advers. VI, 1. pag. 258 refert, eo minus repetierim, quo illud, quo offendimur, scribentis negligentiae probabilius tribuatur; nisi errorem illum, quod proxime ad veritatem accedere videtur, inde natum malis putare, quod Ovidii scriptis carmen nostrum in Codd. Mss., ut videbimus, adiectum passim legebatur. Hac de re quocunque modo statuas, hoc certe negari haud poterit, aetate Matthaei circa finem saec. XII vel initia XIII. defuncti aliquanto superiorem existimandum esse auctorem, cuius ille iam nomen ignoraverit.

Felicius quidem nobis iam contigit, quod Vitalem eum esse Blesensem illum, cuius aliud poema *Queroli* nomine vulgatum habeamus, quum ipsa similitudo persuadeat, tum codices, quos supra dixi, Mediceus atque Neapolitanus plenissime confirmant. Quorum hic teste Iannellio[8] membr. fol. Saec. XIV, (sign. IV, F. 12) ultimo post Ovidiana loco (8), poemation elegiacum amplius quingentis versibus de Amphitruone, quod illi

res in illo libello vidi allatos: Virgilium, Lucanum, Horatium, Iuvenalem, Ciceronem, Persium, Martialem, Catonem: (Fol. 140. a, quae leguntur Distich. 1, 17, 2), Statium, Boethium, Priscianum, Porphyrium, Isidorum, Gualterum denique Alexandreide (Saec. XII.), Theodulum.

8) Catalogus Bibl. Latinae veteris et classicae manuscriptae, quae in regio Neapolitano Museo Borbonico adservatur, descriptus a Cataldo Iannellio. Neapoli 1827 p. 181.

Plautini Amphitruonis parodia videtur, exhibet; cuius ad calcem a manu coaeva: *Explicit de Geta, de muliere mala* „quod agatur de adulterio, et Geta hic sit, qui in Plauto Sosia" et in adnotatione vs. 18, ipsa quoque coaeva, scriptum legitur: *Libri titulus talis est. Incipit Comedia Vitalis Blesis*; ad oram vero ultimae paginae, et hic et in libris Ovidii de Remed. am., a manu recentiori: *Qui est Paulli de Maza tostis*, scilicet domini. Etsi nullum a Iannellio specimen additum est, dubitari tamen nequit esse hoc ipsum poema nostrum; vel si cui quid dubii maneret, id omnè tolleretur codice Mediceo membr. saec. XIV fol. min. (Plut. 33 cod. 31 num. 45) unde Bandinius (Catal. Cod. Lat. Bibl. Medic. Laurent. II, 127.) sex versus exitat, qui nostri sunt. 1, 11, 23 seq., 39, 532. Is quippe codex subiectum poemati distichon habet:

Explicit hic Geta deceptus ab Arcade summo.
Vitalis Blesis explicit Amphitryon.

Quod sive auctori seu librario tribuendum sit, certe priori versu eclogae argumentum, posteriori titulum significat.

Enimvero, etiamsi omnis nos codicum fides destitueret, nihilominus Vitalem esse auctorem poematis, collatum eiusdem alterum opus admodum illi consimile *de Querulo* sive *Aulularia* inscriptum, et ab Hieron. Commelino publici iuris factum,[9] luculentissime demonstraret. Ex huius enim carminis vs. 27 quum iam comper-

9) qui id Querolum Plautinum a Conr. Rittersh. a. 1595 editum iuxta sequi iussit, teste ipsius epistola ad Rittershusium p. 54 inserta. Haec propterea monentur quod *Histoire littéraire de France* l. I. p. 429, ubi de Vitale eiusque Aulularia copiose agitur, Rittershusius tanquam carminis editor laudatur.

tum habeamus, praeter Aululariam Amphitryonem quoque poema Vitalem scripsisse, quum praeterea in utroque carmine eadem metra tractandi ratio, idem dictionis color, prorsus similis in ludendo ingenii forma reperiatur: vix quisquam de uno eodemque utriusque libelli auctore dubitare poterit. Itaque Vitalis nomen fronti libelli inscribere haud veriti, simul alterum geminum carmen tam ob argumenti tractati similitudinem communemque utriusque originem, quam propter incredibilem exemplorum raritatem [10] typis repetere ex re nostra esse putavimus; ita ut hocce volumine omnia nunc comprehensa legantur, quae ab hoc poeta profecta aetatem tulerunt. Ceterum de ipsius Vitalis vita aut nihil aut parum constat. Ne aetas quidem aliter definiri potest, quam supra factum est; unde temere ab iis agi patet, qui Vitalem Matthaei Vindocinensis aequalem fuisse statuant, quae vulgaris opinio est. [11]

Auctoris nomine sic demonstrato de ipsis carminibus ambobus, quae iunximus, accuratius dicendum, et primum de Amphitryone, sed ita ut simul alterius, ubi necessarium videtur, ratio habeatur. Ante omnia autem de codicibus monendum est. Vaticano uno, quem V appellavi, Maius in describendo carmine usus est, altero praeterea binis locis in usum adhibito, de cuius conditione nihil admonuit. Ille saec. XIV. in membrana scriptus praeterea continet, ut Maius in praefatiuncula refert,

10) Libri in compluribus iisque locupletissimis bibliothecis frustra quaesiti exemplar, quo usus sum, tandem ex bibliotheca acad. Heidelbergensi qui ei praeest, Bährius, quem Creuzerus V. C. hac de causa a me rogatus adierat, humanissime mihi commodavit. De libri raritate et pretio conf. Bauer. Bibl. libr. rar. P. I. p. 127.

11) V. *Histoire litt. de France* l. l. p. 428.

Theoduli Eclogam notissimam et Prudentii Psychomachiam. Darmstadiensis uterque membranaceus miscella continent, a diversis manibus forma octava scripti: quorum unum, quem praestantiorem habeo, litt. D, alterum litt. F notavi. Scriptura earum partium, quibus Amphitryon continetur, ad saec. XIV vel principium XV referenda videtur. Codex F fine mutilus carminis v. 415 desinit. Praeter hos quatuor et Neapolitanum atque Mediceum codices undecim alii in notitiam meam pervenere, quibus, quantum fieri licuit, ita usus sum, ut, scripturae aliquid ubi notatum reperiebam, id in usum meum diligenter converterem. Inter hos duo sunt Bernenses, alteri duo Britannici. Illorum notitiam dedit Sinnerus Catal. Cod. Mss. bibl. Bernens. p. 275, ex quorum uno, quem olim Bongarsius possedit et quem B vocavi, tres priores et quatuordecim ultimi versus afferuntur, quibus examinatis simul apparet, in eo codice carmen integriori forma quam in Vaticano exhiberi. De alterius, qui in Bibl. Bernensi numeratur 550, conditione Sinnerus nihil annotavit. Britannicorum unum Oxoniensem Bodleianum tribus verbis commemorat Thomas Wartonus *History of English Poetry*, ed. nov. Londinensis 1824. T. II. p. 66; cf. Catal. Mss. Angliae et Hiberniae Tom. I. p. 55. No. 3041; alter, qui est Cottonianus, affertur ab editoribus Wartoni doctissimis l. l. p. 65. Quintus denique codex (de quo qui ipse inspexit Federus mihi retulit) Matritensis est (M. 110), chartaceus forma media saec. XIV exeunte vitiosissime scriptus, „carmina diversa" Latina continens, cuius folium 60. b. his incipit verbis: „Grecorum studia nimium diuque secutus", quod est exordium carminis nostri. Fol. 82. a leguntur: „Luditur Anphitrion et tota sua domus. Explicit comedia Plauti." Penta-

metet ille (nam suspicor librarium scribere voluisse *et sua tota domus*) ipsius carminis non est, sed ad declarandum carminis argumentum a scriba sub calcem, ut videtur, adiectus. His codicibus iam accedunt quinque Parisienses Regii: 8207 membr. saec. XIII et XIV, n. 8, Amphitryon, carmen elegiacum, c. glossis et scholiis, fine mutilum; 8413 chartac. saec. XV, n. 8, *Anonymi carmen de Jovis et Alcmenae amoribus*; 8430 membr. saec. XIV, n. 8, *Geta sive de amoribus Jovis et Alcmenae carmen*; 8498 membr. saec. XV, n. 6, *Amphitryon, comoedia versibus elegiacis*; 8509 A membr. saec. XIV, n. 4, *Geta sive Amphitryon, comoedia de amoribus Jovis et Alcmenae*. Undecimum denique locum occupat, qui his diebus ad notitiam nostram venit, Vindobonensis, de quo v. Endlicherum Catal. Cod. Mss. bibl. Palat. Vindobonensis I. p. 162, lacunas editionis Vaticanae commode eo suppleri posse adnotantem. Codicis huius (277) in membrana saec. XIV exarati inscriptio fert: „Incipit Geta"; subscriptio: „Explicit Geta." 12)

Illis vero copiis instructus in recensendo contextu ita versatus sum, ut codicem Darmst. D et integritate et scripturae elegantia Vaticano multo praestantem pro fundamento lectionis concinnandae haberem, eumque etiam

12) Ceterum Endlicherus, si vel Iannellii Catalogum laudatum consuluisset, nunquam sibi persuasisset, carminis auctorem esse Matthaeum Vindocinensem, ad vanam istam opinionem eo, si quid suspicari licet, inductus, quod eodem codice aliisque Vindobonensibus insuper Matthaei illius comoedias tres elegiaco pariter metro decurrentes contineri animadverteret, inscriptas his nominibus: Milo, Miles gloriosus, Alda. Verum, ut post ea quae supra allata sunt, de auctore eclogae nostrae dubium esse non potest, ita id ipsum, quod auctoris nomen tribus his comoediis in codice adscriptum illic omittitur, scrupulum Endlichero iniicere debuerat.

tum, quum de praestantia lectionis variantis dubitari poterat, fideliter plerumque redderem, quovis loco, ut par erat, discrepantia reliquorum codicum diligenter adnotata. Interpunctionis vero, quam dicunt, varietatem adscribere, haud necessarium visum. Itaque, ubi nihil monitum habes scripturam Darmstadiensis aut alius codicum a me adhibitorum; nam ubi coniecturis contextui succurrendum fuit, quod raro factum memini, suo id quoquo loco diserte notavi. In orthographia Maium, sicuti in Aulularia Commelinum, plerumque secutus sum, haud tanti esse reputans, in usum poetae nostro peculiarem inquirere. Igitur interim dedimus vulgares formas, quales sunt *Amphitryon*, *hi*, *quondam*, alia eius generis, licet fortasse ex consuetudine aevi auctor ipse scripserit *Amphitrion*, *hii*, *condam* etc. De carminis ipsius indole Maius in Praefatione recte admonet, argumentum carminis de Plauti fabula quidem sumptum esse, ceteroquin poetam nostrum marte proprio omnia scribere neque Plautinis vestigiis insistere.

Ceterum Maium, de severitate metri mirifice neglecta et perversa conquerentem, nunc carmine aliorum codicum ope castigato aliter existimaturum confido. Quibus enim vitiis prosodicis poema in Vaticano commaculatur,[13] iis omnibus paene nunc liberatum est, ita ut poeta ut vix alius aevi recentioris purus atque tersus prodeat. Et quod primam vv. *praeito* et *praeeuntem* corripuit (v. ad Amph. 477 et Aul. 564), vel *deest* monosyllabum vs. 345 protulit, vel alia id genus ausus est, ea omnia maiorum clarissimorum exemplo fecit: ita ut, si pauca quae-

13) V. vs. 40. 163. 165. 193. 203. 240. 262. 297. 331. 350. 356. 424. 434. 439. 443. 475.

dam excipias, quae Vitali peculiaria sunt, qualis est perpetua syllabae primae n. *Geta* productio, de qua v. ad Amph. 5, vix alia eius generis vitia deprehenderis, quae recentioris aevi poetastris propria sunt. Una vero in re poeta abusus est auctoritate maiorum, producendo brevem syllabam in penthemimeri collocatam; quod quum apud antiquos raro et consilio quodam factum videmus, id noster poeta tanquam veniam sibi concessam sumpsit.[14] Atque in Aulularia non solum eadem caesurae licentia, sed ex altera parte prorsus idem in metrorum et prosodiae ratione expolienda studium et diligentia, a qua semel auctorem descivisse memini, vs. 784, ubi *furando* et *restituendo* ultima corripiuntur. Nam quod in v. *necessarius*, a cuius usu veteres poetae heroici prorsus abstinuere, antepenultimam corripuit, ut vs. 71. 74. 76. 77, id ipsa metri necessitate coactus sibi indulsit. Binis praeterea locis a metro laborantibus, facillima emendatione succurri potuit, vs. 89 et 118.

In carminis inscriptione a Maio discedimus, qui fronti praescripsit *de Amphitryone et Alcmena poema*, nomen ab argumento, ni fallor, fictum, cuius nullum, ut suspicor, in Vaticano vestigium. In codicibus certe iis quos ego novi et supra recensui, subscriptiones pror-

14) Exempla haec numeravi: 1. 7. 14. 22. 36. 52. 56. 57. 58. 60. 100. 129. 133. 147. 152. 157. 176. 194. 208. 216. 222. 228. 229. 245. 250. 265. 270. 288. 290. 298. 308. 331. 339. 341. 350. 353. 356. 361. 387. 394. 395. 399. 401. 403. 413. 415. 416. 428. 439. 445. 452. 460. 462. 466. 467. 468. 501. 510. 515. 517. 527. Ex Aulularia quae huc pertineant exempla, transcribere me taeduit. Semel ibi ante primam versus incisionem productam reperi ultimam syllabam v. *prosiliit*, vs. 529, ad exemplum Ovidii Met. I, 114 *subiit argentea proles*. Ceterum eadem illa licentia passim usum esse Paulinum quoque, animadvertit Maius Auct. class. T. V. p. 370. 375. 379.

sus aliae feruntur. In D subiicitur: *Explicit liber Getae*, in B. *Explicit liber Amphitrionis et Getae.* In Bodleiano appellatur *Comoedia de Geta*; Cottoniani inscriptio in Catalogo,[15] simpliciter refertur: *Comoedia Getae.* Similiter Neapolitanus et Vindobonensis, concinente Matthaeo. Atque argumento ipsi talis titulus, qualis est *Getae*, eo aptior videri debeat, quo magis Getae servo primae partes per totam eclogam datae sunt. Denique fallor, aut principale poetae consilium fuit, Getae sub persona philosophorum sui temporis dogmatis saepe ineptis irridendi: dialecticorum enim controversias, permulta in Getae sermonibus ita redolent, ut quaedam ex scholis eorum utique deprompta suspicere. V. vs. 259. 279. 400 seq. His et aliis locis videor mihi Getam tanquam de cathedra syllogismos scholasticorum explicantem audire. Ac quod Geta vs. 235 auguratur se mox *magistrum* appellatum iri,[16] magnaque conservos suos in popina edocturum esse, id vix dubitari potest quin ad perfricandam doctorum aequalium vanitatem et arrogantiam dictum sit. Sed tamen inscriptionem operis illam cedere oportet alteri *Amphitryon*, a fundamento argumenti repetitae, eo maiori iure pro genuina habendae, quo magis credibile est, quemadmodum alterum carmen ex Plautinae comoediae nomine appellatum fuit, ita ad eandem normam etiam hoc inscriptum fuisse. Nam *Aulullariam*, non *Querolum*, uti in editione principe inscribitur, alterius carminis titulum fuisse, dubitari nequit. V. ad Aulullariae initium a nobis notata. Ceterum in huius

15) *Catalogue of the Mss. in the Cottonian library deposited in the British Museum.* Londini 1802. p. 514. b. Codicis aetas non memoratur.

16) De *magistri* officio in scholasticorum scholis conf. Raymundi Lulli Artem brevem cap. 45. p. 42 ed. Argentoratensis a 1651.

rei obscuritate eum equidem minime reprehenderim, qui nonnullorum codicum auctoritatem secutus *Getam* inscriptionem praeferendam esse existimet.

Restat, postquam de eclogae inscriptione dictum est, ut etiam de fonte dicatur, ex quo derivanda videatur. Sicuti certum est, alterum Vitalis opusculum minime ad Plauti Aulularium, sed ad Querolum expressum esse,[17] ita Plauti Amphitruonem cum cognomine Vitalis carmine contendenti facile apparebit, hoc cum illa comoedia nullam aliam habere communionem, quam quae in usu eiusdem fabulae de Iovis et Alcumenae amoribus consistat; unde fas est coniicere, scribendo Amphitryoni fabulam similem Plauti nomen pariter mentitam Vitalem adhibuisse. Quae coniectura mihi videtur eo similior veri esse, quo comoediae veteris ad modum Queroli compositae vestigia certius mihi videor invenisse in his verbis Sedulii, quibus carmen suum paschale auspicatur:

Quum sua gentiles studeant figmenta poetae
grandisonis pompare modis, tragicoque boatu
ridiculove GETA, seu qualibet arte canendi,
saeva nefandarum renovent contagia rerum etc.

ad quem locum vide Grunerum. In his alludi ad comoediam a Getae nomine appellatam, iam Barthii Adversar. II, 1. p. 51 sententia fuit; certe fabulam oportet fuisse, in qua praecipuae partes Getae servulo[18] datae fuerint, ut eius nomine comicum genus ipsum significari potuerit: talem vero hodie non novimus. Omnibus iam inter se perpensis valde mihi quidem probabile videtur, exstitisse olim aliquod drama Latinum Querolo

17) V. *Histoire litt. de la France*, l. l.

18) Getae nomen servile ex Terentio notum: δουλικὸν vocat scholiasta in Thiersch. Act. phil. Monac. III, 3. p. 371.

**

forma quidem consimile, ad Plautini vero Amphitruonis exemplum conflatum, atque nomine *Getae*, prorsus ad modum Queroli comoediae, insignitum, quod elegiaco carmine Vitalis expresserit: hunc vero, quod Plautum eius auctorem putaret, vel sic auctoris nomen in codicibus scriptum invenisset, quemadmodum Querolus quoque olim pro genuino Plauti opere habitus fuit, non *Getae* sed *Amphitryonis* nomine opus suum inscripsisse. Colligi vero posse videtur ex Aul. 27, Vitalis certe aetate illa duo serioris aevi dramata Plautino nomini adscripta simul *Amphitryonis* et *Aululariae* titulis in vulgus nota fuisse.

In Aulularia typis repetenda, quum novae copiae praesto mihi non essent, editio princeps describenda fuit, cuius in contextu si quid praeter interpunctionem hic illic necessario mutandum fuit, quod admodum raro factum est, id in notis subiectis accurate perscriptum est. Quae passim afferuntur Gruteri emendationes, eae leguntur editioni principi annexae, haud spernendae illae. Praeterea usus sum iis quae a Casp. Barthio Adversar. XLVII, 24 et XLVIII, 20 ad Aululariam vel emendandam vel illustrandam allata sunt; quem praeter Gruterum solum novi, qui in restituendo hoc opusculo aliquantum operae collocaverit. Eorum vero locorum haud paucorum, qui mendosi relinquendi erant, correctio a codicum aliquando reperiendorum ope exspectari debet; de quibus nunc haud magis quam de ipso, quo Commelinus usus est, mihi liquet.

AMPHITRYON.

Graecorum studia nimiumque diuque secutus
Amphitryon aberat, et sibi Geta comes.
Intrat ad Alcmenam ficto Saturnius ore,
cui comes Arcas erat. Credidit esse virum.
Geta redit tandem praemissus ab Amphitryone.

---

1. Initio Maius ARGUMENTUM inscriptionem praefixit; e codice opinor. In Mediceo quidem (neque enim ipsi Bandinio imputaverim) minus proprie hic *Prologus primus* inscribitur; inepte autem ante vs. 23 *Argumentum*. Continetur, sane decem primis versibus argumenti expositio. D et F (et M.) *Grecorum*, atque in illo *e* pro *ae* constanter, in hoc plerumque exhibetur. B *nimium quam*.
2. D et B *Amphitrion*, et sic ille constanter. B *aderat*.
3. V *ardet* pro *intrat*. Idem cum D *in* pro *ad*. Contractam nominis formam *Alcmena* Noster constanter, neque alteram metrum ferebat. Praeiverant Ovidius Met. IX, 267, Statius Theb. V, 288, Lucanus apud Lutat. ad Stat. Theb. IX, 421. Atque quum apud antiquos sola forma *Alcumena* in usu fuisset, suo tempore iam e consuetudine vulgari unice *Alcmena* dici, admonet Marius Victorinus de orthogr. p. 2256 et 2257. — F *Saturnus ab orc.*
4. *Archas* D et F, in huius nominis scriptura sibi constantes. Ceterum non novo Cyllenius exemplo Arcas per totum carmen appellatur. Cf. Martial. IX, 35, 6; Ind. Martian. Capell. ed. Kopp.
5. Notanda est insolens productio primae syllabae n. *Geta*, qua poeta constanter per totum carmen utitur: cui nihil habeo quod comparem nisi numum Aegyptium Graece inscriptum, in quo Getae Caesaris nomen ΓΗΤΑΣ exhibetur, propter hanc ipsam scripturam dubium, in Zoegae Num. Aegypt. p. 258.

Arcadis ille dolis se putat esse nihil.
Se dolet esse nihil, et ab Arcade lusus abibat;
visa refert domino; vir dolet, arma parat.
Laetus abit socio Pater Arcade; quaeritur illis
moechus; abest, gaudent, lis cadit, ira tepet.

Carmina composuit, voluitque placere poeta:
fallitur hoc studio; carmina nulla placent.
Fabula nulla placet, quaeruntur seria cunctis;
quemlibet immodicus alligat aeris amor.
Vincit amor census, et numis carmina cedunt;
multa licet sapias, re sine nullus eris.
Si quem scripta juvant, istis tamen invidet ille,
et laudans veteres nescit amare novos.
Utilius tacuisse foret quam scribere versus;
scriptor enim pretio, scriptaque laude carent.
Quem juvat iste labor, soli sibi scriptitet ille;
et sibi pulcer erit, et sua solus amet.

6. D *se nihil esse dolet.* Idem et F *michil*, hic et ubivis; ut etiam *michi*, de qua scriptura alibi dictum. Cave eam pro vitiosa habeas: recentiori enim tempore sic scribi solitum fuit, et quidem secundum praecepta doctorum de genuinae formae ratione dissidentium. V. Apuleium min. de orthogr. p. 113. Has formas revera offert adeo titulus a. p. Ch. 175 inscriptus, sed paene barbarus, in Férussac *Bulletin des sciences historiques* 1829. No. 5. p. 43; quicum confer p. 48.

9. F *ille.*

10. D *gaudet.*

11. Hanc poematis partem Maius PROLOGUS inscripsit; *Prologus secundus* Cod. Med. V *poeta videri.* Receptam lectionem firmat Cod. Bodleianus, ex quo hunc unum versum Wartonus protulit.

13. V et F *carmina* pro *fabula*, et *placent.*

16. abest a D.

17. V *scriptis* pro *istis.*

22. V *erit* pro *erit.* Codicum scripturam *pulcer* solam agnoscit Apuleius l. l. p. 114. Post h. v. Maius praescriptionem POEMA inseruit.

Ardet in Alcmenam Saturnius atque beatum
  Amphitryona probans, se dolet esse Iovem.
Et quid, ait, coetus superum Iove patre superbit?
  nam superum pater est Amphitryone minor.
Exieratque pater; caducifer obvius ibat
  nuntius: optato, Iuppiter inquit, ades.
Uror in Alcmenam nec eam tamen uro, sed uror
  tempore, sponsus abest, utar et ipse loco.
Iuppiter Alcmenae studeat thalamo, vir Athenis
  philosophetur: amet Iuppiter, ille legat.
Disputet Amphitryon, et fallat Iuppiter; artes
  hic colat, Alcmenam Iuppiter ipse suam.
Iam parat hic reditus: ergo, precor, indue Getam:
  induet ipse tuus Amphitryona pater.
Sustinuere dii mortales sumere voltus:
  fit pater Amphitryon, Getaque natus erit.

---

25. F *atque ait.* V *superum coetus.*
26. F *iam* pro *nam.*
27 et 28. Ex V Maius:

Exierat patri Caducifer obvius, ibat
nuntius, optato Iuppiter inquit ades.

Quod dedi, fert D, qui tamen *optatus.* F *exierat pater.* Productae primae syllabae n. *pater* non novi exemplum. Πατήρ vero prima productum exstat in Epigrammate, quod ex Dodwelli Itinerario Welckerus repetiit, Epigramm. Graecor. spicileg. II. p. 18. No. 41.
29. V *sed utar.*
30. F *uror* pro *utar.*
31. V *thalamis.* F *thalamo studeat.*
32. D *negat* pro *legat.*
33. Fortasse leg. *at* pro *et.*
34. F *et* pro *hic.*
37. F *dei.* V *formas* pro *voltus*, quam formam D et F hic et alibi servant: sic *volt* quoque et similia. Ceterum utrumque Ovidius, *sumere* et *voltus* et *formas.*
38. *erit* ex coniectura. Mss. *erat.*

Nuntiat Alcmenae variis rumoribus acta
fama viri reditum, famaque iuvit eam.
Ad reditum domini domus exultare iubetur:
atria vestit ebur, purpura lata toros.
Arridet thalamus positoque refulgurat auro,
absentis surgunt Amphitryonis opes.
Gaudia testatur dominae nitor, atque superba
significat dominum veste redire virum.
Arte iacent crines, auro quoque dextra superbit,
pingit et haec voltus, vivat ut arte decor.
Sic alias vincit, sic a se vincitur ipsa:
fit nova, fitque decens, plus placet ergo Iovi.
Nunc age, nate, veni, clamat Saturnius, ecce
quanta sit Alcmena, quam bona, quamque decens!
Quam melior Iunone mea; mea sidera vincit:
praeradiat stellis, obtenebratque diem.

---

39. V *apta* pro *acta*.
40. V et F *iuvat*.
42. F *thoros*.
43. D *refulserat*, quod ad receptam lectionem ducit. F *effulgurat*, nihilo deterius. Utraque vox nova, neque male ficta.
44. D *absenti*.
46. F *significatque domum*.
48. F *iuvat* pro *vivat*.
49. F *illa* pro *ipsa*.
50. Haud male idem: *Fit nova plusque decens, sic placet ergo Iovi.* D *patet* pro *placet*.
51. D *huc* pro *nunc* et *dixit* pro *clamat*.
52. F *nova* pro *bona* et *placens* pro *decens*.
53. V *est* pro *quam*. D *quae* pro *mea* post.
54. V *stellas*. Quod reposui ex D et F, legendum iam Maius suaserat. Menti poetae obversatus esse videtur Ovidius Her. VI, 116:
praeradiat stellis signa minora suis,
licet his non recte usus sit. Post hunc versum Maius lacunae signum posuit, quam sequente disticho ex D et F supplevi.

Sic placet illa mihi: sic exeat obvia nobis,
proque suo subeat Amphitryone Iovem.

Deseritur caelum: vernali mitis odore
respiravit humus, sentit adesse deos.
Gaudeat Alcmena: vir adest suus; ecce recurrens,
ingeminat fama, iurat adesse rates.
Ecce meus redit Amphitryon; mi Byrrhia, surge;
dixerat Alcmena; clamat, at ille tacet.
Byrrhia sic secum: clamet licet illa, taceto.
Haec vigilet, dormi; cursitet illa, iace.
Hos habeat ludus, labor hos, te, Byrrhia, sompnus;
quicquid agant alii, sit labor iste tuus.
Sic iterum Alcmena: propera, mi Byrrhia, surge
Nil valuere preces; addidit ergo minas.
Paruit ille minis. Cui sic hera, litus adito,
vela nota, naves prospice, visa refer.
Vera ne sit, sed vera, utinam ne falsa sit oro
fama, redire probans Amphitryona meum.
Sic hera. Sic servus: ha, Byrrhia, quanta iuberis
Audaces etiam territat unda maris.

---

56. F *inque sua subeat.*
57. F *mentis* pro *mitis.*
58. F *sensit.* F *abesse.*
60. F *virum* pro *rates.*
61. V *venit,* D *reddit.* Ille *cito* pro *mi.* Ceterum D *Birrea,* constanter.
63. F *clamat sed illa taceto.* V *sileto.*
64. D *cui sitat illa iacet.* F *tace* pro *iace.*
66. D *ille.*
67. V *modo* pro *mi.* F *o mi.*
69. F *hera* omittit. Idem *adesto.*
70. V *vela notato rates.*
71. in F post vs. 73 collocatur. F *vela ve sit.* V *sed verax ut, ne falsa* etc. *Sit* abest ab F.
73. V *ah* pro *ha.*

Litore dum stabo, profugis ne fluctibus unda
me ferat in praeceps, ipse cavebo mihi.
Byrrhia, tunc ires nulli plorandus in aequor
Quid tunc Amphitryon? Byrrhia nullus erat.
Vae pedibus laterique meo! gravis est via, longum
est iter ad naves, irrediturus eo.
Seu vadam, seu non, Alcmena audito, redibit
Amphitryon noster, si rediturus erit.
Congeminans irata minas, eat, imperat. Ibo,
inquit, at ut redeam quaeso precare deos.

Hic abit, haec orat: adsis, bone Iuppiter, inquit.
Cui Getam simulans intulit Arcas, adest.
Intrat hic in Getam, subit alter in Amphitryonem.
Salva sit Alcmena, Iuppiter inquit ovans.
Salvus et Amphitryon, Alcmena subincidit, ergo.

---

75. V *refugis*, haud male. Ovid. Met. X, 41. *undam refugam*, et Heroid. XVIII, 182. *flumen refugum*.

79. V *ve*, quod Maius ex Festo sine diphthongo scribente defendere studet. Sed *e* in D et F huiusque saeculi codicibus constanti usu pro *ae* scribitur.

80. V *pontum* pro *naves*. Singularem participii formam *irrediturus* non dubitavi ex D suscipere cum propter usus novitatem, tum quod vix eam ex librariorum sapientia liceat repetere. Ex Lucano certe *irredux* comparari potest. V et F ex correctione, ut videtur, *non rediturus*.

81. V *redeam* pro *vadam*. F *audito Alcmena*.

82. F *an tuus Amphitrion*. V *erat*.

83. V *cum geminans irata manus*, D *ingeminat iterum minas*.

84. D et F *et* pro *at*.

85. D *simulas*. F *intulit*, an *incidit*, dubium.

86. V *induit hic Getam*.

89. Hic versus cum septemdecim sequentibus absunt a V. Lacunam notavit Maius. F *subintulit* pro *subincidit*. Neutrum verbum Lexica agnoscunt.

Oscula multiplicant, dant iterantque data.
Temperat Alcmenae, castigat et oscula blande
et sua virgineo verba pudore domat.
Luxuriat deus, ore premens os lambit hiulco,
et moechum sapiunt oscula, verba Iovem.
Impendet collo Iovis illa premitque beato
pondere colla Iovis: sic amat ille premi.
Non equidem mage laeta Iovem complecterer ipsum,
dixerat atque Iovem comparat ipsa Iovi.
Oscula confundunt. Iam Iuppiter acrius ardet.
Claude fores, Geta, dixit, et adde seram.
Nautae si veniant, hominum genus arte repellas;
nemo fores subeat: ianua limen amet.
Nos habeat thalamus securior. Annuit Arcas.
Hos recipit thalamus: obserat ille fores.
Ipsa loci facies invitat ad oscula quemque:
iam mora nulla placet, iungit utrumque torus.

Byrrhia carpit iter lento pede claudus; iniquas
atque graves queritur asperitate vias.
Imputat ille viae, quod sit piger: heu mihi, dixit,
auferet ecce meos haec via longa pedes.

---

90. F *multiplicat.*
92. D *domant.*
93. *hyulco*, ut est in D, abest ab F.
94. F *mecum* pro *moechum* et *blande* pro *verba.* D *faciunt* pro *sapiunt*
95. F *dependet.*
96. D *pondera.* Cf. vs. 128.
98. D *temparat* et *illa.*
101. F *acre* pro *arte*, et *repelle.*
105. F *quemquam.*
106. D et F *thorus.*
107. F *carpsit.*
110. F *auferat ista meos en via.* V *dura* pro *longa.*

Ad mala natus ego crucior, dum cuncta quiescunt;
vae tibi femineo quisquis adacte iugo!
Femina volt sudare suos didicitque iubere;
poena tenet famulos, innovat illa cutem.
Moechus ut introeat, mentitur adesse maritum;
ne videas moechum, Byrrhia, pulsus abis.
Iam redeam, quaeram quid agat, deprensa timebit,
supprimet illa timens verbera, verba, minas.
Sic ait atque redit, dubitat, deliberat, haeret.
Sic iterum secum: non sapienter ago.
Crimina dant animos, odium deprensa fovebit:
Byrrhia, quicquid agat, semper iniquus erit.
Credulus uxori vir erit; mala femina; ficto
crimine dampnabor: sic cruce visa luam.
Propositum repetatur opus: labor instat; eundum
est mihi, secretam, Byrrhia, carpe viam.

---

111. V *cum.*
113. V *suadere.*
114. F *et novat.*
115. D *mechos* et mox *pulsis.*
118. V *ipsa.*
121. F *carmina* pro *crimina* et *favebit.*
122. D *agas* et *eris.* Idem *iniqus*, quae scriptura passim in antiquis monumentis recurrit. V. Syllog. inscr. p. 556. Scripturam *aecus*, *iniqus* Maius passim in vetustissimis Mss. animadvertit, ad Cic. rep. 1, 21. Auct. class. T. II. p. 332. ad Ius anteiustin. p. 40. Et Graeci *αἶκος* pro *aequus* dixere: v. Dionys. Hal. Epitom. a Maio editam p. 3 ed. Francof. Sic Codex Gargilii p. 393 *locuntur*, *cocuntur* et alia. Cf. Wunderum in Mus. Rhenan. 1829. fasc. 2 p. 274. Probum Gr. in Maii Auct. cl. T. V. p. 238 a.
124. F. *luar.*
125. F *temptamus.* Ex V Maius *iter* pro *opus*, quod servat, ut idem ait, codex alius Vaticanus, cum utroque Darmstadiensi. D *insta eundem.*

Hac iter, hac ito, ne Geta sit obvius ille,
qui mea letifero pondere colla premat.
Geta precor pereat, homo natus pondera ferre;
pondera portet equus, Byrrhia vivat homo.

Intravit portus ventis ereptus et undis
Amphitryon, laetus litora nota tenens.
Regnat amor castus in pectore coniugis illi.
Geta vocatus adest: et, cito, dixit ei,
tolle libros, praecurre domum, salvere iubeto
Alcmenam, reditu gaudeat illa meo.
Pars est salva mei, salvetur ut altera quaeso,
pendet ab illius nostra salute salus.
Geta favet tollitque libros, praenuntius ibat.
Byrrhia carpit iter, Geta videtur ei.
Heu, Geta est, inquit. Perii; quodcumque verebar

---

127. D *aciter* pro *hac iter*; sed passim librarius *ac* pro *hac* scripsit. V *ito* pro *ibo*. D *illi*.
128. F *premet*. D *domet*. V. vs. 96.
130. F *portat*.
131. D *intrarat*. Praestat scribere *portum* pro *portus*.
132. V *tuta* pro *nota*, non male. F *tenet*.
134. V *i* pro *et*, recepta lectione haud deterius. Malim *at cito*.
135. F *salvare*.
137. F *sit* pro *est*.
141. F *heus*. Sed hoc est advocantis sive inclamantis, *heu* dolentis. V. Pompeii Artem p. 8 et 349 seq. ed. Lindemann. In transcursu castigabo Plauti locum adhuc non recte tractatum, Captiv. III, 4, 60.
AR. *Enimvero iam nequeo contineri.* TYND. *Heus! audin'? quin fugis?*
Ita Bosscha et Lindemannus. In prioribus editt. versus iusto longior exstat, fine exhibentibus *heus audin', quod ait? quin fugis*, vel *heus! audin' quid ait? quin fugis*, vel etiam *heus tu quid agis? quin fugis?* Postremum Cratandria, quicum conspirat Codex Nagleri, omisso hic tamen pronomine *tu*. *Quod ait* ex glossa ad *audin* adscriptum Bosscha existimat: item glossae tribuendum censeo *quid agis*. Sed illud ipsum *audin* nullo, quod

accidit; heu quantum, quam bene portat onus!
Pondere sub tanto sudaret maximus Atlas:
hoc humeris nostris impositurus erit.
Ecce caverna subest, lateam dum transeat ille;
post iter aggrediar. Dixerat atque latet.
Providet hunc Geta, qui non male noverat illum;
quo lateat, notat hic, dissimulatque tamen.
Substetit ad caveam; furca subeunte bicorni
dum sustentat onus, sic ait ille sibi.
Vae scapulis humerisque meis! vae pondere tanto
colla fatigat onus et via longa pedes.
Sed quid in occursum non exit Byrrhia Getae?
Pendeat in collo sarcina nostra suo.
Fasce sub hoc caderet iam Byrrhia, Byrrhia secum:
profuerat multum sic latuisse tibi.

---

sciam, codice reperitur, quod in tanta copia cum ab aliis tum ab Avellinio collatorum huius comoediae Mss. maximae est auctoritatis: quare *tu* servato, quod plerique tuentur codices, suspicor hanc fuisse poetae manum: *heus tu, quin fugis*, admisso hiatu. Formula *heus tu* nulla frequentior, et plerumque ita usurpata, ut *audin* mente suppleatur.

142. V et F *honus*.
143. D *Archas* pro *Atlas*.
144. V *umeris* et *erat*.
145. F *subest, dum transeat ille latebo*.
147. F *previdet*. V *hoc* pro *hunc*. Pro *non male* F *pigrum*, V *longe*. D *ille*.
148. D *vocat* pro *notat*. F *dissimilatque*.
149. F *sustitit*. D *substitet*, tralatitia in Mss. vocalium transpositione. D *bicornu*. *Furcas bicornes* habet Virg. Georg. I, 264.
150. Maius *substentat* et *honus*, quod etiam F. V *ipse* pro *ille*.
151. Maius *ve* et *umerisque*. Huius loco F *pedibusque*. D *ne* pro *vae* post. Pro *tanto*, quod exhibuit F, D et V *presso*, cuius loco scribendum esset *pressa*. Maius dedit: *ve pondere presso!*
152. F et V *honus*.
155. D *fasse sub hac*. Pro *iam* F *ha*.
156. V *mihi* pro *tibi*.

Continuat Geta: vae vae mihi, dixit, Athenis,
dicere longa mora est, quae mala quotve tuli!
Me frigus, me longa fames, sitis aspera, sompni
nocte breves, miseri perdomuere cibi.
Non primo vivebat herus, sed pane secundo;
qui me pascebat, vix quoque quartus erat.
Sed pretium poenae miranda sophismata porto,
iamque probare scio, quod sit asellus homo.
Dum mihi me reddant patinae, focus, uncta popina,
hos asinos, illos esse probabo boves.
Sum logicus, faciam quaevis animalia cunctos:
Byrrhia, qui nimis est lentus, asellus erit.

Byrrhia sic secum: qui Byrrhia fiat asellus?
quod natura dedit, auferet iste mihi?
Byrrhia sic Getae quaecumque problemata solvet;

157. D *ve* pro *ve ve*, quod dedit Maius.

158. F *discere* et *quaeque* pro *quotque*. In phrasi *longa mora* secutus Noster est Ovid. ex Ponto IV, 16, 37. *quorum mihi cuncta referre Nomina longa mora est.*

159. D *satis.*

160. Pro *cibi* D *tibi*, F *sibi.*

161. De *pane secundo* v. Horat. Epp. II, 1, 123.

162. V *bene* pro *quoque*, quod defenditur vs. 426.

163. D *pena* pro *poenae*. Pro *miranda* V *invicta.*

164. F *namque.* Ceterum hic fortasse Noster in mente habuit quod inepta aevi recentioris sapientia excogitavit, Socratem post mortem in asinum transmutatum fuisse, oneribusque in Piraeeo portandis serviisse. V. Nicephori Chumni fragm. in Creuzeri Comm. Herod. I. p. 336.

165. D *reddant focus iuncta popina.* Pro *focus* V *dum.* F *coquina. Unctam popinam* debet poeta Horatio Epp. I, 17, 12.

168. D *tardus* pro *lentus.* Receptam lectionem egregie confirmat Auctor libelli de grammatica, codice Darmstadiensi conservati, quo versus noster affertur: de quo codice adeas Praefationem.

169. V et F *fiet.*

170. F *aufert ille.*

171. F *solvat.*

respondebit, erit Byrrhia semper homo.
G. Hoc etiam didici, quod res nequit ulla perire:
quod semel est aliquid, non nihil esse potest.
Cui semel esse datur, numquam non esse licebit;
sed faciem mutat, et novat esse suum.
Sic nequeo non esse. Sibi tunc Byrrhia: Geta
vivet in aeternum, si modo vera refert.
G. Omnia mors tollit: doctum cecidisse Platonem,
atque ipsum Socratem succubuisse ferunt.
Fama tamen vivet. Sed et hoc quoque morte peribit:
omnia mors delet, omnia morte cadunt.
B. Dissidet ipse sibi; modo fine carere probabat
omnia; cuncta modo morte perire docet.
G. Ibo. Sed heu! quid in hoc strepit et submurmurat antro?

---

173. Getae sunt verba, quod Maius littera G praefixa hic et infra itemque addita B, ubi sermo ad Byrrhiam transit, significavit; quam colloquii distinctionem ad commodum lectorum servavi, licet eam codices nostri cum Bodleiano, ut Wartonus refert, ignorent. In Cottoniano singuli sermones, ut ab editore operis Wartoniani annotatur, alio modo inter se distinguuntur: scribitur integris nominibus v. c. *Iuppiter Alcmenae, Alcmena Iovi* et similiter. De V conditione Maius nil monuit.

174. In V hic versus et 176 transpositi leguntur.

177. V *nihil* pro *non*.

179. F *morte cadunt* pro *mors tollit*, ex vs. 182 repetitum.

180. F *ac*. D *occubuisse*. In prosodia nominis *Socrates* adhibenda poeta metro cessit, quod etiam alios fecisse videmus, qui nomen illud metro haud aliter quam secunda syllaba producta aptari commode posse existimarent. Exempla dabit Sirmondus ad Sidon. Apollinar. Carm. XV, 69. p. 146. Conf. Ephem. litt. Ienens. 1812. No. 19. p. 150.

181. Pro *tamen* V et D *mei*. F *vivit* et *adhuc* pro *et hoc*.

183. D *carere fine*.

184. F *probat* pro *docet*.

185. V *en* pro *heu*. F et D *strepet*.

En lepus, en, hercle, praeda decora viro!
Utar ego saxis; non sunt mihi retia praesto:
furcula pro reti, sint vice saxa canum.
Exeat aut lateat, saxis mea praeda peribit.
ditabit mensam praeda reperta meam.
Vae mihi quod latui! Mortem vitare volebam,
iam moriar: volui vivere, vita fugit.
Iam volui tutus nimis esse: perenne latebo,
et fiet tumulus ista caverna mihi.
Vae, cur non tacui! nunc a me proditus ipso
quod moriar timeo, qui bene tutus eram.

---

186. abest a D. V *en lepus est certe.*
187. D *saxis utar ego.* V *quia non mihi retia praesto.* F *nec* pro *non.*
189. F *an* pro *aut.* Pro *mea* V *nunc.*
190. Post hunc versum male in D transpositi leguntur vs. 211 et 212.
193. D *ha* pro *iam*, haud male. D et F *perhenne.* V *perhemne.*
195. V *quia* pro *cur.* Idem cum D *perditus.* D *ipse.*
196. V *ne* pro *quod*, quod in hoc poeta ferendum putavi, quamquam idem vulgari quoque constructione utitur ut, v. c. vs. 432. Salvian. de Gubern. mundi V, 21. *Vereor, quod, qui non bene observamus, nec bene lectitemus.* Sic *dubium non est, quod* apud Hygin. Astron. IV, 14 p. 484. ed. Munker. Symmach. Epist. VII, 37. *Testabitur commoratio tua, an ibi libentius otieris, quum in dubium non veniat; quod a me invitus abscesseris.* Adde Ammian. Marcell. XIV, 6. Fr. 20 Pauli Digg. L. 34. t. 5. *Nulla dubitatio est, quod debeatur.* Augustin. Ep. 125. p. 411. ed. Hervag. 1524. *Neque enim dubito, quod eum non credas ibi esse, ubi illae sint.* Ep. 135 p. 421. *Numquid ergo dubito, quod eadem credas?* Ep. 144. p. 433. *Quis dubitaverit, quod eum si posset, afferret.* Ep. 11. *Nulli dubium est, quod. Non dubito quod.* Salvian. Gub. I, 14. *Certe dubitare non possumus, quod tunc Deo maximae curae erant, quum pro Deo ista paterentur.* III, 68. *Quod ipse Christum imitatus sit, nulli dubium est.* Atque Augustinus in hac phrasi adeo *quia* posuit, Genes. XI, 38 *et quia non essent, si felicitas, quae in paradiso fuerat, teneretur, non est utique dubitandum.*

Geta premit saxis, inculcat et ictibus ictus,
et veniam timida Byrrhia voce rogat.
Byrrhia sum, mi Geta, precor tua dextera parcat;
nulla viro laus est sic lapidare virum.
Geta teneto manus; tuus est hic Byrrhia. Non est
Byrrhia, Geta refert. Iurat hic, ille negat.
Instat hic; hic clamat: non mentior, hercule notus
sum tibi, me sola noscere voce potes.
Byrrhia sum, mi Geta, tuus, tua saxa repone,
vivat ut obsequio Byrrhia, Geta, tuo.
Ergo caput profer. Iam profero, saxa repone,
ne caput hoc pereat ad tua saxa meum.
Cessat hic, hic exit. Cui Geta: quid ergo latebas?
Posset ab incauto mors tibi saeva dari.
B. Quis dedit hoc Getae lapidare latentia quaeque?
Luna latet cum volt, Byrrhia quando potest.
G. I citus ad naves, et quae modo pondera restant
tolle, manent humeros pondera magna tuos.

---

197. D *inculcans ictibus.*

199. D *sine mihi* pro *sum mi.* Pro *tua* F *iam.* V *precor mihi parcat amicus.*

200. V *suum* pro *virum.*

201. D *teneta*, omisso *manus.* F *hic est.* V sine versus *es.*

202. D *refert Geta hic iurat.*

203. V *ille clamat. Hic-hic*, ut vs. 209 et Tacit. Hist. IV, 55 ubi v. Oberlin.

205. F *o mi Geta.* D *precor* pro *tuus.*

206. Hic versus et 208 in V transponuntur. F *o Geta.*

207. F *feriam*, et *proferro* pro *iam profero*, et *remitte* pro *repone.*

209. Pro priore *hic* F *et.* Bene habet *hic-hic:* v. ad. vs. 203. Alterum *hic* ut vs. 299 producitur, de qua mensura pronominis masc. adeas Iahnii *Jahrbücher* 1823. XIII, 1 p. 41. Ceteris locis a Nostro corripitur.

212. F *dum* pro *cum.* V *nonne* pro *quando.*

214. V *umeros* et *tuos.* F et D *humeris* et *tuis*, sed in hoc ex rasura: antea scriptum fuit *humeros-tuos*, quod servavi. Cf. vs. 466.

Vel mea si mavis haec tantula pondera ferre —
B. Tantula? quis tanta pondera ferre queat?
G. O quanto maiora feres! quo fasce premeris!
et fascem ostendens, hoc leve pondus, ait.
Quum leve vel nullum pondus te ferre queraris,
cur ea non defers viribus apta tuis?
Dixerat Amphitryon mihi maxima ferre volenti:
accipias pondus hoc leve, Geta, tibi.
Byrrhia magna feret, quem reddunt otia fortem;
nam fortes humeros grande decebit onus.
Byrrhia cogetur montes transferre. B. Teneto
ergo tuum; quod fers tu tibi pondus habe.
Si nequeo vitare, valet differre laborem.
Discedunt. Litus hic petit, ille domum.

Geta domum properat, gaudet loca nota videre,
gaudia dinumerat; sic breve reddit iter.
Gaude, Geta, tui iam praeteriere labores;
otia iam redeunt, iam tibi parta quies.

---

215. V *tolle* pro *ferre*.
216. V *ferre pondera tanta*. F *potest* pro *queat*.
218. *et* abest a F, in quo praeterea *hic* pro *hoc*.
219. F *pondus nullum*. V *te pondus*.
220. V *mea* pro *ea*, rectius fortasse.
221. D *pondera* pro *maxima*.
222. V *accipies*.
223. V *ferat*.
224. V *umeros* et *honus*.
225. F *iam ferre* pro *transferre*.
226. F et D *meum* pro *tuum*.
227. D *sed* pro *si* et cum V *nequeam*.
229. D *nota* pro *loca*.
230. V *dinumerans*.
231. pro *tui* F *mi*, D *cui*. F *praeterire*.
232. F *quies est*.

Assurgent Getae redienti Santia, Sango,
 Davus, et applaudet cetera turba tibi.
Accrescet nomen mihi, dicar Geta magister;
 terrebit cunctos nominis umbra mei.
Magnus et in tota venerabilis ipse popina;
 iam liber servos magna docebo meos.
Sed quid in occursum non est Alcmena? quid autem
 ianua clausa mihi est? quid silet ipsa domus?
Ad primam vocem pandatur ianua Getae,

---

233. F *redeunti.* V *venienti.* Sequuntur servorum nomina, haud certo quaeque restituenda. V *Santia Sanga*, F *Sagana Longe.* Genuinum est *Santia*, Latina forma ex Graeco nomine Ξανθίας. Et ipsum nomen SANTIA monstrosae viri figurae litteris retrogradis adscriptum exstat in vasculo, quod edidit Panofka *Antiquités du cabinet de Pourtalès* Tab. IX. Qua figura servum haberi scenamque ex Attica quadam comoedia exhiberi ingeniose statuit Raoul-Rochette *Lettre à Mr. Gerhard, sur deux vases peints*, Parisiis 1835. p. 17 seq. De vera imaginis ratione et sensu fateor me adhuc ambigere; unum hoc video, Panofkae explicationem, falsa inscriptionis interpretatione Αἰτνας nixam, admitti non posse. Denique *Sango*, quod ex D recepi, videtur esse forma nominis *Sannio* corrupta.

234. V *comes* pro *tibi*, haud male.

235. F *accresset.* V *dicar iam Geta magnus*, quod egregiae reliquorum codicum lectioni iam propter poetae non usitatam n. *Geta* prosodiam posthabendum est. V. ad vs. 5.

236. F *nomina.*

237. V *uncta popina*, quod vitium prosodicum Maius aliis eius generis stribliginibus, quibus carmen nostrum commaculetur, excusandum existimat. A qua criminatione poetam in Praefatione liberavimus. D *ipsa*, cuius loco *ipse* legendum esse statim intellexi et confirmatum vidi in cod. F. *Uncta popina* librarius inopportune adscivit ex vs. 165. Ceterum F *coquina.*

238. F et V *ipse* pro *magna.*

239. D *sed si quid.*

240. *est* abest a V, non male. Pro *quid* V et D *et.*

241. V *pandetur.*

vel minimo digito iam reserabo fores.
Multa fero quibus ipsa placet sibi femina: peplum
mittitur Alcmenae, zona, monile, chlamys.
Cultu forma nitet, hac femina dote superbit;
hac placet ipsa viro, plus placet ipsa sibi.
Accedit pulsatque fores: clausaeque quiescunt.
Obstupet ille, domus atria voce replet.
Exeat Alcmena, pandatur ianua Getae,
exeat, et videat Amphitryona suum.

Arcas adest foribus, Getam mentitur, eratque
persimilis Getae corpore, voce, manu.
Iam thalamum tenet Amphitryon, tenet ostia Geta,
quisquis es, inquit, abi. Dixerat: ille stupet.
Terruerat Getam simulata probatio vocis;
abstitit a foribus et sibi maestus ait:
Qui loquitur mecum? voce est et corpore Geta;

---

243. Statim in D versui 220 subiicitur, ita scriptus: *multa quibus placet ipsa fero sibi* etc.
244. D *clamis*. Eius loco F *mantellus*, e glossa. *Mantellus* novitia forma: *mantellum* unico exemplo apud Plautum legitur, Capt. III, 3, 5, ubi miror Bosscham fugisse, id ipsum quod eius loco e margine codicis sublegit, nihil aliud quam glossam esse.
246. F *ac* pro *hac*, et *tamen* pro *placet* post., hoc fortasse melius.
247. V *clausaeque quiete*, F *clausasque fatigat*, haud male.
248. F *obstipet* et *repellet*.
250. V *ut* pro *et*.
252. V *persimilis voce, corpore, voce magis*. Pro *manu* D *magis*.
253. F *tenet Amphit*[illegible]*thalamum*. V et F *hostia*, et sic fere constanter. Ads[illegible]nis usum in hac voce notavit Apuleius minor p. 109.
255. F *relatio*.
256. D *mechus*.
257. Pro *mecum*? V *vere*, sed uncis a Maio inclusum.
258. V *ecce* pro *voce*.

voce loqui Getae quis nisi Geta potest?
Sed logici memorant, quod vox est una duorum,
atque duos nomen significabit idem.
Dixerat, atque domum circumspicit undique clausam;
omnia clausa videt, cunctaque clausa silent.
Admirans stetit ante fores et, quisquis es, inquit,
pande fores, reseres ostia, Geta redit.
Iam rediit Geta, Deus intulit, Amphitryonque
in thalamo gaudet coniugis ecce suae.
Byrrhia iam rediit, quem dum latitaret in antro
terruerantque minae saxaque missa manu.
Supprime clamorem, sine iam requiescere fessos,
fessis post onera fit mage grata quies.
Geta suum nomen novit, nec clausa recludit,
ad nomen Getae limina nulla patent.
Obstupuit retroque pedem tulit, heu mihi, dicens,
hunc verum Getam factaque voxque probant.
Numquid oberravi? numquid modo Byrrhia missus
vel citius rediit, vel breviore via?

---

259. abest a F. D *sit* pro *est*.
261. D *ad* pro *atque*.
262. D *silent* pro *videt* et *videt* pro *silent*.
264. D *reseras hostia*.
265. F *Amphitrionque*.
266. F *esse* pro *ecce*, D *ille*. Notanda rarior constructio *gaudere* ali cuius rei. Male V *dormit* pro *gaudet*.
267. D *dum* pro *iam* et mox *terrueratque*.
270. F *fessus* et *honera*, et sic V.
271. F *refulsit* pro *recludit*.
272. *patent* scripsi pro *patet*, quod exhibet D. F *limina clausa sibi*, V *limina clausa silent*.
273. F *retro*.
274. F *Getam verum*.
276. D *aut-aut*.

Est ego qui mecum loquitur; sed nescio fiat
qua ratione duo, qui prius unus erat.
Omne quod est, unum est; sed non sum qui loquor unus.
Ergo nihil Geta est, nec nihil esse potest.
Unus eram, clausa quum primum ad limina voce
intonui, sed me reddidit iste nihil.
Respondine mihi? vocemne per eccho relatam
ut solet in silvis reddidit ipsa domus?
Ianua me dudum reserato cardine cepit?
Quid loquor? ut subeam proferor intus ego.
Accedam, quaeram, quo sit pede, dente, capillo,
an sicut voce, corpore sic sit ego.
Quaeram de factis, de moribus est metuendum:
non leve, ne Geta sit duo, sitve nihil.
Instat, et ut frangat illata repagula posti
concutit irata limina clausa manu.
Clamat, ades qui voce refers et corpore Getam,
postibus oppositam quaeso repelle seram,

---

277. V *hic* pro *est*. F *ergo* pro *ego*, tralatitia permutatione. D et V *fiant*.
278. F *quia* pro *qua*.
279. F *loquitur*.
280. D *Geta nichil*.
281. *ad* ex F adieci. V *primo dum clausa limina*.
282. F *ne* pro *me*. D *iste nichil* pro *ille mihi*.
283. F *responditve* et *heccho*. V: notata ad vs. 300.
284. V *illa*.
285 et 286 absunt a F. V *proh furor* pro *proferor*.
287. D *si* pro *quo*.
288. D *aut* pro *an*. F *sit sio*.
289. F *et metuendam*.
290. F *sine* pro *sitve*.
291. F *serata* pro *illata*. V et F *porte* pro *posti*. Cf. vs. 303.
293. *ades* omittitur in F.
294. F *appositas* et *seras*, melius fortasse. D *quaese*.

ut videam, non ut subeam, fore semireclusa,
aemula si tibi sint voltibus ora meis.

Non, sic Arcas ait, non est leve fallere Getam;
viribus intrare cum nequis, arte paras.
Hic rogat, ille negat; hic instat, at ille repellit;
viribus utuntur, fortior Arcas adest.
Iurgia commiscent, postique adnixus inanes
fundit in oppositum tristis uterque minas.
Clamat Geta, seram posti ni dempseris ultro,
pessime, iam vires noveris hercle meas.
Deme seram posti, scelus improbe! ni cito pandas,
protinus opposito ianua fuste cadet.
Turpe mihi cumulare preces, qui cogere possum.
Quid facis Alcmena? Surge, reclude domum.
Turpe fit uxori non occursare marito;
vir redit ecce tuus: limina Geta tenet.

---

295. abest a F. V *foribus semiclausis*, iugulato metro. D *fore sumi reclusa*, unde genuinam lectionem conflavi: in qua nota novam vocem *semireclusus*.

297. D *cui* pro *non*.

298. V *cuilibet intrare vi nequis*, haud male, si *cuilibet* cum Maio praecedentibus adscribas. F *viribus intra haec cum arte paras*.

299. F *et* pro *at*.

300. D *erat* pro *adest*. Post hunc versum D insuper addit vs. 283 legitque *vocemve*.

301. F *commissent*. D *posti quoque nixus*. F *annexus*.

303. F *ne*. D *depresseris*, omisso *posti*.

304. D *tu* pro *iam*. V *ecce* pre *hercle*.

305. V *celer* pro *scelus*. Pro *improbe* F *est male*.

308. F *include*.

309. F *sit* pro *fit*.

310. V et F *dum*. Hinc Maius *dum redit: ecce tuus limina Geta tenet*, sensu haud apto. *Vir* pro marito, ut passim. Plaut. Stich. I, 1, 3 et 4. Iustin. I. 2, 8. Eodem modo Graeci: v. Syllog. inscr. p. 263.

En tuus Amphitryon: iubeas cito clausa recludi;
introitum Getae furcifer iste negat.
A. Exagitent male me superi, si turpe quid audes;
tu sapies, Geta quid queat, Arcas ait.
G. Ianua fuste cadet. A. Ergo cadet et tua cervix?
effuge, terribili rudere voce sinas.
Mene putas terrere minis? iniuria portae
facta redundabit in caput hercle tuum.
Geta timet, ponitque minas: ope saepe minandi
lusus, ad adsuetas confugit ergo preces.
Dic, ait, oro, tui quis sit color et modus oris,
et membris proprias omnibus adde notas.
Singula percurre, quia multum scire laboro,
quisquam praeter me si fore possit ego.
Arcas ait contra: dicam, modo namque precaris,
non verbis tumidis sed prece vincor ego.

---

312. F *ille.*

313. F *exagitant.* *Me* deest in D. Poeta fortasse scripsit *te*, quod adeo necessarium, si versu sequente codicum universorum lectionem *ni sapias* (F *sapies*) probaveris. Sed aptius videbatur, leni mutatione verborum ordini succurrere. — Pro *queat* F *gerat.*

315. *cervix* omittitur in F.

316. F *reddere.* V *sine.*

317. F *ne me* pro *mene* et *putes.* D *neque* pro *mene.*

318. V *ecce* pro *hercle.*

319. F *silet.* Pro *saepe* F et V *Geta.* F *minando.*

320. F *inde*, V *ipse.* Est ubi *ergo* pro inde positum haud male dicas. V. Cerda ad Virg. Aen. VI, 384.

321. F *cui* pro *tui.*

323. F *quin.*

324. Errore librarii in F verba *si fore possit* (F *posset*) *ego* et vs. 325 *dicam modo namque precaris* transponuntur. D *si quisquam.*

325. V *enim* pro *ait*, quod in D omittitur. D *precantis.*

326. F *nec verbis tumidis.* V *victus* pro *vincor.*

Principio ut sapias, Getam te credere noli,
  nec puto quod credas, sed cito crede mihi.
Non alium Getam, nisi me, nam Graecia novit:
  fallere me credis nomine nempe meo.
Solus ego Geta; nunc accipe, quis color et quae
  forma mihi, quae sint singula membra mihi.
Totus inaudita foedaque nigredine dampnor,
  atque color membris omnibus unus inest.
Sum velut aethiopes, aut quales India mittit,
  aeterna scabie scinditur atra cutis.
Hirsutum caput est et cinctum crine caprino,
  frons brevis et naris longa, rubent oculi.
Menta genasque tegit et obumbrat silva pilorum,
  collaque longa mihi sunt humerique breves.
Sic tumeo ventre, quod dicor hydropicus esse,
  et stomachus parvum nescit habere modum,
zonaque nulla potest hunc castigare tumorem,
  cum pane absorptis dum tumet alvus aquis.

---

329. F *modo* pro *nam*.
330. F *false*. D *tuo* pro *meo*.
331. Post *Geta* V addit *sum*, quo posito n. *Geta* prosodia violatur. V. ad vs. [illegible] Pro *quis color* V *quid loquar?*
332. V et F *quo sint singula facta modo*, quae, ut ex seq. perspicitur, aliena ab hoc loco sunt.
335. F *velud*.
336. V *caeditur*, D *tegitur*.
337. F *irsutum caput*. V *comptum*.
338. V *nares, longe*, contra metrum.
339 et 340. absunt a V, lacunam Maio non notante. F *menda genas tegit*.
341. F *dicar*, quod praeferendum, si quidem *quod* pro *ut* positum accipias.
343. F *tumentem*, D *timorem*.

Deest spatium lateri, deest renibus; aspera crura
sunt mihi, quae scabies ut sua regna tenet.
Mens mihi, quae crebro cingilli colligit iram;
ad tortum venter tenditur usque genu.
Tibia curva mihi, sed grossa, pedesque recurvi,
ut pedibus solea nulla sit apta meis.
Cuique sat est me nosse semel, Getamque videntes
fastiditi abeunt, nec repetisse iuvat.

Miratur Geta, qualis sit; spectat et audit
hunc sibi persimilem, se nihil esse timens.
Singula perspiciens videt et se taliter esse;
quisquis hic, est Geta, sum quoque talis, ait.

---

345. *deest* monosyllabum: eandem synizesin in *deerit* Virgilius Aen. VII, 262 admisit. Pro *aspera* F haud male *hispida*; sed *aspera crura* Ovidius Art. am. III, 194.

346. D *in* pro *ut*.

347 et 348. a Maio consulto, ut videtur, propter argumenti lasciviam omittuntur: posuit enim lacunae signum. *Mens* obscoeno sensu insolenter dictum. D *singulti*. F *cum mens sibi crebro cingultu colligit iram*. Ex utroque conflavi lectionem receptam, cuius sensus haud eget explicatione. De v. *cingillum* adi intpp. Petron. 67. — Alterum versum ita D: *uterus inflatus tendit adusque manu*. Voluit librarius scribere *genu* pro *manu*: nam *manus* nihili esset. *Inflatum pectus* Ovidius dixit: sed praestat F lectio, in qua nulla mutatione opus.

349. V *curta*. *Curva tibia*, licet alia v. *tibia* significatione, dixit Virgil. Aen. XI, 737. D *tibia mihi curva est*.

351. V *cuique semel satis est me noscere; namque videntes*. D *cuique sat est me nosse scelus*. *Getam que v.*

352. D *fastidit*.

353. F *est* pro *sit*.

354 et 355. in F et D omittuntur et, credo, recte. Sunt enim, ni fallor, interpolatoris, aliis verbis quae vs. 353 et 356 perscribuntur repetentis.

356. F *qualis* pro *quisquis hic*. Ex V Maius: *quisquis is est, Geta est, sumque ego talis, ait*. D *ego* pro *ait*.

Dic age, quo pacto, quibus artibus Amphitryonem
fallis, et ut factis sis ego simque nihil.

Furta dolosque meos audi, Caducifer inquit,
ut iures Getam me fore, teque nihil.
Est quamvis Geta turpis: qua gaudet amari,
scire velis causam; turpis et illa quidem
causa subest: moechor; nunquam placata priapo
semper inest rabies et modus absque modo.
Ut verum fatear, non Geta, sed inguen amatur;
si qua meos voltus non amat, inguen amat;
quas hostes voltus, inguen mihi reddit amicas:
sic ut totus amer, pars facit una mei.
Fallo senem, minuo commissa, recondita furor,
furtivis opibus Thaida pasco meam.
Nulla manus Getae tenuit sera, dissipo quaeque
prodigus et larga non mea dono manu.
Lenio muneribus quas voltu terreo turpi;
si dare multa potes, quicquid avebis habes.

---

358. F *sumque.* V aperto metri vitio *fallis ut.*
360. V *unde scias Getam.* Qui post hunc sequuntur versus usque ad 368 ex utroque Darmstadiensi promuntur, a Maio, signis lacunae appositis, ex pudore, ut supra, omissi.
361. D insigni discrepantia: *est quamvis turpis Getae color, inguen amatur.* Sed extrema ex margine inserta videntur, ex vs. 365. apposita.
362. D *carmen* pro *causam.* Librarius compendium, quo *caussa* in Mss. scribi solet, haud intellexerat.
363. Pro *moechor*, quod ex coniectura edidi, F et D *melior* vel *mehor*: neutro loco satis distingui potest.
364. post *modus* D repetit *et.*
369. F *concessa* et *furo.*
370. V *furtivisque.* D et F *Thayda.*
371. V *manum.*
372. F *prodagus.*
373. V *quam.*
374. V *sic* pro *si.* F *potest* et *amabis.*

Accipe nunc iterum, quae gessi nuper Athenis,
ut fore me Getam per mea facta probes.
Amphitryona scholae, Getam sua Thais habebat.
Dum muto patriam, Thaida quaero novam;
Thaidas exquiro, quarum bona copia Getae:
vinco muneribus, munere vincit amor.
Dumque sopore gravatur herus, castigo crumenam,
et minuo numerum, sic tumet illa minus.
Saepe crucem merui, merui persaepe catenas;
aspera saepe tuli verbera, saepe minas.
Nuper ego (sed ades, ne forte quis audiat illud)
incolumi cista bina talenta tuli.
Clavis adulterio feci mea furta latere;
est leve deliros fallere posse senes.
Si mea me fallit fraus et deprensor in actu,
nota nego, testor numina, iuro deos.
Non dubito testes superos adducere falsos:
nil audet magnum, qui putat esse deos.

---

377. F *Amphitrione* et *sua Getam Thays.* D *Getam sus Thays* et *habebant.*
378. F *mitto*, haud male.
379. V et F *mihi* pro *bona.* Fine D *Getae est*, cuius loco F *gratam.*
380. V *vincio.*
381. V *dumque gravatur herus sompno.* F *sapore.*
382. F *numerum minuo.* Pro *minus* D *nimis.*
383. F *chatenas.*
387. V *adulterii fecit.* D *adulterea fecit*, haud male, si approbes novam adiectivi formam *adultereus.* Apud Ovidium Art. am. III, 633 est *adultera clavis.*
388. F *et* pro *est* et *viros* pro *senes.*
388. V *deprendor.* Nova est verbi forma a nobis ex F et D revocata.
391 et 392 desunt apud Maium nulla lacunae significatione facta, alia sed simili causa, ut supra, fortasse de industria deleti. Pro *non* F *nam.* Mox D *magnis.*

Iam satis est, Geta es, respondet Geta stupetque,
dicta rocognoscit, et fore nota dolet.
Sis ego, respondit, ego sum nihil, atque recedit,
quaque via laetus venerat ante, redit.
Solus abit, secum queritur: vae vae mihi, dixit,
vae mihi qui fueram, qui modo fio nihil!
Geta, quid esse potes? es homo non hercule; namque
si quis homo Geta es, quis nisi Geta foret?
Sum Plato? me forsan artes fecere Platonem.
Geta quidem non sum, Getaque dicor ego.
Si non sum Geta, non debeo Geta vocari;
Geta vocabar ego: quod mihi nomen erit?
Nomen erit nullum, quia sum nihil. Heu mihi, nil sum?
Iam loquor et videor, tangor et ipse manu.
Seque manu tangens, sic intulit, hercule tangor,
quodque valet tangi, non erit hercle nihil.
Est aliquid quodcumque fuit, nec desinit esse;
est etiam semper, cui semel esse datur.
Sic sum, sic non sum; pereat dialectica, per quam

---

394. F *vera* pro *nota*.
395. V *sic* pro *sis*, omisso mox *sum*. In F deest *ego* post. Idem *adque*.
397. D *querit* h. e. *quaerit*.
399. V *potest* et *hercule non homo*. Pro *namque* D *nunquam*.
400. D *es* pro *est*. Omittit F, et fortasse melius.
401. F *forsan artes me*.
402. F *dicar*.
403. V *cur* pro *non* post.
404. V *vocabor*. Pro *mihi* D *modo*.
406. F *video*.
408. F *esse* pro *hercle*.
409. V *non* pro *nec*.
410. D *quum* pro *cui*.
411. V *periit*. F *dyalectica*.

sic perii penitus: nunc scio, scire nocet.
Cum didicit Geta logicam, tunc desit esse:
quaeque boves alios, me facit esse nihil.
Sic in me gravius experta sophismata mutant
tantum alios: mihimet astulit esse meum.
Vae logicis, si sic est omnibus! Heu, redit ecce
Amphitryon, miror an sit et ipse nihil.
Et venit et nihil est: poteritne, quod nihil, ire?
Hercule cuncta suas deseruere vias.
Reddidit insanum de me dialectica stulto:
Geta sit an non sit Geta, probare potest.
Sum, si me salvere iubet sub nomine Getae:
si taceat, perii. Dixerat atque citus
Amphitryon relegebat iter. Sequitur praeeuntem
vix quoque sub nimio Byrrhia fasce gemens.
Dum videt hic Getam, proh maxime Iuppiter, inquit,
quid mihi volt Geta? qua ratione redit?
Significat dampnum Getae citus iste recursus,
fac bona, Iuno, precor, nuntiet iste bona.
Ne mortem nati, vel casum coniugis aegrae
afferat hic vereor; ora dolentis habet.
Turbor in aspectu: date, numina, ne sine prole
dicar et in magna parte perisse mei.

---

413. V *dum* pro *cum*. D *desinit*.
415. F, qui hoc versu desinit, *porto* pro *mutant*. V *mutans*.
416. Ad verba *mihimet* etc. intelligitur logica.
417. D *reddit*.
419. D *ire est*.
424. V male *tacet*.
426. D *falce*.
428. V *sibi* pro *mihi*.
430. Ex V Maius: *fac, bona Juno precor, nuntiet ille bonum.*
431. V *ne* pro *vel*.
432. D *hoc* pro *hic*.
434. *in* male abest a V. *Periisse* D.

Quid taceam? quaeram. Sic dixit, et occupat illum,
dic age, dic Geta, quid mea cura facit?
Stamus, an occidimus? periine in coniuge fida?
an vivit quod amo? Geta rogatus ait:
Hercule sum Geta, quia Getam me vocat iste;
quod non est aliquid, nomen habere nequit.
Haec secum tacitus. Obiecit protinus: hercle
nuntio mira: diu quod sumus ambo domi.
Hercule non sumus hic, rediit iam Byrrhia, iamque
Amphitryon thalamos, ostia Geta tenet.
Vera quidem, vera nimium loquor: ast ego felix,
si quaecumque loquor omnia falsa forent.
Si sis Amphitryon, a te praemissus abibam;
inveni rigidis ostia clausa seris.
Insisto foribus, me Geta recedere iussit,
Amphitryona probans iam rediisse domum.
Me mihi descripsit, mea facta recensuit ille;
quodque foret Geta, multa dedere fidem.
Byrrhia subridens: accepit Graecia sanos
hos, ait, insanos illa remisit eos.
Insanire facit stultum dialectica quemvis,
ars ea sit numquam, Byrrhia, nota tibi.
Arte carere bonum est, quae per phantasmata quaedam

---

435. V *taceo.*
436. V *qui* pro *dic* post.
437. D *et* pro *an.* *In* abest a V.
439. V *Geta sum*, hiulco metro, et mox *me Getam.*
441. V *adiecit.*
442. V *diu est.*
443. V *redit.*
445. V *en* pro *ast.*
447. V *dimissus.*
455. D *quemvis dialectica stultum.*
456. V *numquam sit.*

aut asinos homines, aut nihil esse facit.
Sit logicus quivis, tu Byrrhia sis homo semper:
his studium placeat, uncta popina tibi.

Geta relata refert, et vix sibi credulus ipse
miratur. Movit Amphitryona dolor.
Falleris, inquit ei, quia te nihil esse vereris:
moechus habet thalamos, cui bene notus eras.
Adsint arma mihi, gladio praecingere, Geta,
Byrrhia, tela cape; nos lucra magna manent.
Quos nihil esse probat, aliquid iam sentiet esse.
Iussis Geta favet, et prior arma capit.
Arma parant ambo. Movet hunc iniuria lecti;
hic parat, ut gladio se neget esse nihil.
Byrrhia dissimulat; satis haec, ait, hercule noram;
cum petii naves, intus adulter erat.

---

459. *tu* cancellis inclusum dedit Maius.

460. V *mihi* pro *tibi*. Ceterum D *hiis*, ut vs. 475 *hii*, quae cave ne scripta cum quibusdam accipias pro *his* et *hi*. Aspiratione abusi pro more seculi illa scribunt pro *ii* et *iis*, quod eo comprobatur, quod etiam *heae* et *hisdem* reperitur, quae non poteris non habere pro *eae* et *iisdem*. V. Virgilium Maronem Gramm. in Maii Auct. class. T. V. p. 6. 12. 13 alibi. Nihil obstat quod in Pompeii Arte p. 15 et passim *hii* revera pro *hi* scriptum exstat; quum editor ipse adnotet, in Codice alterum *i* passim ab emendatore deletum esse, patet *hii* quotiescunque revera pro *hi* reperiatur, librarii oscitantiae tribuendum esse.

461. V *ipsi*.

462. V *mirantem*. D *novit*.

463. V *qui* pro *quia*.

465. De inusitata secundae personae forma *praecingere* adeas Lagomarsinium in Iahnii *Jahrbücher*, Suppl. III, 3. p. 332 seq.

466. V *multa* pro *magna*.

467. V *sentiat*.

468. D *parat* pro *capit*.

470. D *negat*.

471. V *dissimulans*. D *hoc* et *moram*. *Hoc* productum ferri posset: v. Iahnii *Jahrbücher* 1835. XIII, 1. p. 42.

Huc mittebar ego; nullus te, Byrrhia, fallit;
hos agit insanos in sua dampna furor.
Hi si bella gerant, nihil est ad proelia tutum:
si potero, numquam Byrrhia marte cadet.
Increpat, instat herus, clamat: cape tela, praeito.
Hoc me tardat onus; vos sequor, inquit, ego.
Proicito pondus, cadet ut deprensus adulter.
B. Proiciam? dampnis addere dampna nocet.
Non sumus hercle pares; sunt plures forsitan intus;
nec sine vi magna captus adulter erit.
Arma ferunt moechi; vos subsequor, ite priores,
ad bellum vires cominus ensis habet.
Eminus astabo, quia funda saxa rotabo;
improvisa magis volnera saepe nocent.
Tela manu vibrant, abeunt et multa minantur,
inque Iovem auxilium quaerit uterque Iovis.
Byrrhia ridet eos; unde haec audacia? dixit.

473. V *ego mittebar.*
474. V *ad* pro *in.*
475. V *saeva* pro *si.*
477 et 478. Huius distichi loco unus versus in V fertur, ita scriptus: *Increpat, instat herus. Vos sequor, inquit, ego.* Hexametrum, qui desiderabatur, Maius versu hoc ab ipso composito supplendum putavit: *Dum sic proponit, loquitur dum Byrrhia secum.* Quo nunc carere possumus. D *honus.* Prima in *praeito* correpta iam legebatur supra vs. 425.
479. D *potius* pro *pondus* et *depensus.*
480. V *iuvat.* Cum D facit alius a Maio in margine laudatus codex
481. V *plures sunt.*
482. V *non* pro *nec.*
483. D *mihi* pro *moechi.*
484. V *ad belli vires protinus ensis adest.*
485. V *adsistam.*
487. D *adeunt* et *plura.*
488. D *Iovem* pro *Iovis.* *Inque Iovem* est adversus Iovem.
489. D *hic* pro *haec.*

Quis furor? o utinam nosset adulter eos.
O faciles dare terga viri! Si Graecia quondam
misisset tales, nunc quoque Troia foret.
Byrrhia, si sapias, fugias prior, ultimus instes.
nil poterit tuta tutius esse fuga.

Iam minus ardebat; lenito iniquiter igne,
oscula iungebat iam moderata satis.
Me necat officium; naves in litore liqui
incustoditas. Geta, paretur iter!
Dixerat. Arcas adest, gaudetque suo Iove caelum;
terra nimis ridet: sentit abesse deos.
Stabat inornata positoque Alcmena decore,
utque Iovi placuit. Ostia quando patent,
Amphitryon armatus adest; expavit ad arma
femina et assurgit territa sponsa viro.
Et quid opus gladio? non arma, sed oscula sume,
inquit. Quid frustras? sic adeunda tibi?
Lenia verba placent. Armatus ad oscula venit,
iamque manu mucro labitur, ira tepet.
Geta subit, reserata modo stupet ostia, moechum.
quaerit ut inveniat et reperire timet,
et quia moechus abest, sic Geta audacior inde

---

490. V *noscat.*
491. D *date.* V *tales* pro *quondam* et mox *quondam* pro *tales.* D *condam*, ex more seculi scriptum, passim in Mss. obvium.
493. V *sis sapiens* et *esto* pro *instes.*
494. V *nil poterit timido totius esse fuga.*
495 — 524 absunt a V. Lacunam signis Maius notavit, ad quam plane supplendam ea, quae nunc ex D proferuntur, vereor ut sufficiant. Initio enim Iovis mentionem desideramus; ita ut unum certe distichon periisse censeamus.
499. D *ades.*

exit et in tumidas (nil metuenda) minas:
Amphitryon, quo moechus abit? satis oscula sumes;
moechus ubi est, gladio iam cadet ipse meo.
Dicat et Alcmena, cur ostia clausa negabant
introitum Getae. Risit et illa refert:
Ostia servabas et parte clausa patebant,
et mox ad nutus clausa fuere tuos:
Amphitryona meum thalamis complexa fovebam.
Haec ad verba dolor Amphitryona movet.
Oscula rumpuntur; succedunt verbera paci:
quas modo lambebat, nunc secat ungue genas.
Heu mihi, clamabat: recto modo calle venimus,
hercule moechus erat; non erat, illa refert.
Vos equidem vidi, vel vos vidisse videbar;
luserunt animos sompnia saepe meos.
Sompnia sunt hercle, subiecit Byrrhia; Geta
insanit, factus stultior arte sua.
Iurgia sint insana procul, succedo popinae;
gaudeat Amphitryon, Getaque fiat homo.
Laetatur sponsa Amphitryon, nidore popinae
Byrrhia, Geta hominem se fore: cuncta placent.

---

512. D *exi.*
514. D *ipsa me.*
517 Pro *et* fortasse scribendum *ex.*
519. B *amplexa*, quod non opus ut praeferamus. V. Plaut. Mil. Gl. II, 6, 53. Sed idem codex optime *fovebam*, quod dedi: cuius loco D *fovebit.*
520. B *monet.*
522. D *male* pro *modo.* B *ferit* pro *secat.* Mox D *ille* pro *illa.*
525. B *hos equidem*
527. V *Getae.*
529. B et V *coquinae.*
530. D *fiet.*
531. B et V *coquinae.*
532. B *quoque* pro *cuncta.*

AULULARIA.

ARGUMENTUM.

Committens ollae fragili Queruli pater aurum,
fecerat in titulo funeris esse fidem.
It peregre. Servo moriens secreta recludit;
in Querulum rediens cogitat ille dolum.
Fit magus utque domum Queruli expiet, hanc, subit. Olla
tollitur; in titulo fallitur: ossa putat.
Redditur; iniicitur laribus; confringitur: aurum
fundit. Adest Querulus; fusa talenta legit.
Mentitur servus, quod reddidit ultro, fidemque
invenit in fraude. Creditur. Acta placent.

PROLOGUS.

Qui releget Plautum, mirabitur altera forsan
nomina personis quam mea scripta notent.
Causa subest facto. Vult verba domestica versus;
grandia plus aequo nomina metra timent.

---

*) Inscribitur a Commelino *Vitalis Gallicus Blesensis de Querulo.* Sub calcem vero carminis adiicitur *Vitalis Gallici Blesensis Aulularia explicit feliciter*, ex codice, ut videtur. Et ipse auctor opus suum vs. 23 *Aululariam* vocat.

Sic ego mutata decisave nomina feci
posse pati versum: res tamen una manet.
Arguet hoc aliquis, mea si comoedia fatum
nominet et stellas, et canat alta nimis.
Descivisse ferent, humilemque ad grandia stulte
evasisse stilum, crimina Plautus habet.
Absolvar culpa. Plautum sequor: et tamen ipsa
materiae series exigit alta sibi.
Haec mea vel Plauti comoedia nomen ab olla
traxit; sed Plauti quae fuit illa mea est.
Curtavi Plautum: Plautum haec iactata beavit;
ut placeat Plautus, scripta Vitalis emunt.
Amphitryon nuper, nunc Aulularia tandem
senserunt senio pressa Vitalis opem.

LIBER I.*

Iratus fatis Querulus causatur iniqui
nominis auctores et dolet esse Deos.
Et quid, ait, voluere Dei, cum temporis ortu
informem in formas distribuere globum?
Scilicet expositos fatis ut sortis amarae
ureret asperitas detereretque labor.
Naturae gremio melius sopita iacerent
omnia, et in sterili matre sepulta forent.
Nunc labor aeternus, aeterna angustia cunctas
decoquit, ut curent esse, nec esse velint.

---

27. Fortasse *curtata* pro *iactata* legendum, cuius loco *iactura* suadebat V. D. (G) in *Histoire littéraire de la France*, T. XV. p. 431, ubi totus prologus repetitur.

*) Huius loco legitur *Explicit Prologus*.

34. Barthius, qui Adversar. XLVII, 24. p. 2234 hunc locum affert et explanare studet, habet *labos*.

Cunctis o utinam sic sors tolerabilis esset!
Sors mala si fuerit omnibus una, placet.
Damna minus laedunt, si sint communia. Sed cur
iuravere omnes in mea fata Dei?
Natus ego utquererer, semper Querulusque vocatus,
ut vivam querulus et mea fata querar?
Mira mei video praesagia nominis; audis
nomen: quae mea sint fata notabis eo.
Sum miser atque meo mea nomine nomino fata,
asperitasque novi nominis omen habet.
Res sequitur nomen. An nomen ab omine duxi?
an causam nomen ominis esse rear?
Vixissem infelix, etiam si Iulius essem;
aspera mutato nomine fata manent.
Hoc quoque miror ego quod, cum caput exero tectis,
ecce meum quovis nomen in ore sonat.
Sibilat in Querulum plebecula meque sequuntur;
sustineo invidiam nominis esse mei:
quae male conditos paulatim venit in usus,

---

39. Barthius l. c. p. 2235: „Non videtur satis esse concinnum. Si enim par esset fortuna omnibus, paritatem illam facturam tolerabilitatem, ut ita loquar, affirmat. Legam:

Cunctis una ubinam sit sors, tolerabilis esset,
sors mala si fuerit omnibus una, placet.

Etiamsi vel mala sit omnibus una sors, tamen sit tolerabilis, modo non tam variis modis sortibusque distincta et inaequalis."

41. An *sunt?*

56. Pro *esse* Gruterus mavult *ipse.* Barthius l. c.: „*Sustineo*, probo, arbitror, persuasus sum, opinor. Estque semilatinum. Et in declinati aevi disputationibus sophisticis saepius occurrit. Quo pertinet etiam quod *sustentare* suffragari exponitur apud Papiam. Sic ipse libro IV. [vs. 711] *Manibus ira sua est quae laesae sustinet irae Poenas.* — Quare non accedimus mutanti τό *esse* acutissimo Grutero nostro."

57. Barthius l. c. *conditio* pro *conditos* legi vult, „scilicet ut ex nominibus indicentur mores hominum." Ego malim *condita.*

nomina cum natis imposuere patres.
At quanto melius, simulac adoleverat aetas,
nomen ad arbitrium sumere quemque suum!
Qui modo sum Querulus angusti nominis heres,
Plato vel Socrates Pythagorasve forem.
Odi Pythagoram, quia carnibus horruit uti
et sibi cognatam credidit esse suem.
Quam varios hominis mens conscia quaerere verum
edidit errores. Vera latere volunt.
Iupiter his hominum suspendit pectora curis,
ne foret ex aliqua parte beatus homo.
Ausus in arcana naturae erumpere Plato,
unum deprendit, et docet esse Deos.
Unde necessarii seriem cum duplice fato
ordinis intexens dedocet esse Deos,
et fatum fato sic explicat, ut licet insit
ordo necessarius, omnia casus agat.
Atque iterum fato fatum sic explicat, ut sors
ipsa necessaria lege coartet iter.
Ergo necessario Querulus miser et nequit esse
non miser, huic sectae si sit habenda fides.
Somnia Platonis innexa ambagibus odi,
dum studuit canere non capienda mihi.

---

62. De prosodia n. *Socrates* v. ad Amph. 180.

65. Pro *conscia* Barthius l. c. coniecit *consona*. Sed *mens conscia* phrasis poetis Latinis tam frequentata, ut eam nostrum non adscivisse vix credamus. V. Ovid. Fast. IV, 311. Virg. Aen. I, 604.

71. Barthius l. c. *necessari*; sed de huius v. prosodia v. Praefationem.

76. Ed. *cohartet.*

80. Transponi iubet Barthius l. c. p. 2236 *canere studuit*, quo rursus carere possumus. V. Praefationem.

Hoc unum placuit: turbam negat esse Deorum;
utile quod docuit sit licet, error erit.
Vivit homo Superis et iam sibi nemo laborat;
sis dives, cole tot numina, pauper eris.
Stulta hominis pietas gaudet servire creatis
a se numinibus et facit esse Deos.
Horret opus manuum queriturque quod imperet illi,
nesciat infelix vivere liber homo.
Hoc lare bina Lari data sunt altaria quondam,
fortunamque laris fecimus esse Larem.
Ex tunc irata est nobis Fortuna deoque
ipsis pro miseris nil facit illa Deis.
Mane tamen primo, dona, Lar sancte, rogamus.
Nescio quid donet: nil habet ille sibi.
Lar datus est tutela lari; malus est mihi tutor,
quem male si tueat, non bene tutus erit.
Qui tutoris eget, misere commissa tuetur;
si mihi Lar deus est, cur eget ille mei?
Si sapient homines, mendicet turba Deorum;
ordine converso numina pascit homo.
At certe deberet homo Deus esse Deorum;
ille deus Queruli est, qui bene pascit eum.
Lar, alium tibi quaere larem; nil mi dedit unquam,
nec dabit humanae relligionis opus.

---

84. Barthius, ubi hunc versum affert, citat *sic* pro *sis*.

87 et 88. vereor ne pessumdati vel mutili sint, ad quos reficiendos nihil proficitur Barthii l. c. coniectura *nescit ah infelix*.

89. Ed. *sunt data*. Repositum a metro postulari, iam Gruterus monuerat, et sic citavit Barthius quoque.

94. Malim *ipse* pro *ille*.

95. Ludit poeta in ambiguo v. *lar* sensu, hic et infra. Pro domo ipsa *lar* passim.

99. An *sapiant*?

Prodigus ad sumptum Superis pater extulit aras,
extulit et tumulos ossaque fovit avi.
Funeris omen erat. Domus est damnata sepulchro,
funereaeque domus omina sortis habet.
Quid valuere suis Superi cultoribus, audi:
ille Deum cultor maximus exul obit.
Si quem felicem vis dicere, consule finem:
nemo prius felix quam morietur erit.
In lare servus edax. Querulum premit, invidus extra.
Sic venit ex omni sors mala parte mihi.
Quam male Pantalabum Querulo sors invida iunxit!
Sum per eum Querulus; quod querar, ipse facit.
Pransus habet causam mecum, cur sit pede nudo,
tanquam si sibi sim, non mihi natus ego.
Venter inexpletus cuivis iacet aequus acervo.
Crescit edendo fames; dat cibus ipse famem.
Consului medicos. Medici dixere bolismum,

---

115. *Pantomalus* in Querolo Plautino servus appellatur.

116. Malim *ille* pro *ipse*.

117. *Causam* Barthius rixam vel litem recte interpretatur. Conferri potest *causam ex causa quaerere* in Querolo Plautino p. 32 ed. Patav.

118. Ed. *tanquam sim sibi*, haud integro versu, qualem a poeta factum non arbitror. Gruterus legendum suadebat *sibimet*. Quod rescripsi, etiam Barthio placuisse nunc video.

119. Suspicor a poeta scriptum: *Venter inexpletus quamvis iacet aequus acervo, Crescit* etc. ut sit *inexpletus* pro insatiabili dictum, ut ap. Stat. Theb. II, 518.

120. Cum verbis *crescit edendo fames* Barthius confert illud Ovidii: *semperque locus fit inanis edendo.*

121. *Bolismus* vocabulum Avicennae debetur, qui eo pro bulimo perperam usus est. V. Castelli Lex. med. h. v. Barthius: „Gariopontus, cum ficto nomine Medicus, lib. II cap. 51 *Cibum accipiunt multum nec saturantur, neque incrassantur, sed tabidi efficiuntur. Graeci hanc passionem bulismon vocaverunt.* Alii tamen

scilicet esuriem, quae solet esse canum.
De consumptore medici fecere voracem;
perpetuam peperit addita cura famem.
Exitus hic artis medicae est: si quid male sentis,
accede ad medicos, protinus aeger eris.
Ultimus hic miseris sortis gradus, ut sine furti
culpa nullius spes sit habenda lucri.
Sic igitur servo, sic indignatus et ipsis
numinibus, Querulus omnibus hostis erat.
Lar aderat laturus opem; sed tristia fata
qui lenire cupit, asperiora facit.
Qui damnat mala fata placet, qui lenit acerbat;
irritant animos fortia dicta graves.
Vivat, ait, Querulus. Vivat, responderat alter.
Invisa peius nil dare sorte potes.
Sors mala tunc peior, si sit prolixior; illa
si brevis est, aliquid prosperitatis habet.
Sors miseros ditat et fato fata quiescunt.
Vivere da misero, fit magis inde miser.
Non ita, Lar inquit; vera est sententia: ni te
esse putes miserum, non miser esse potes.
Non faciet casus miserum, sed opinio falsa;
si constes animo, casus inermis erit.

---

accuratiores distinguunt inter bulismum et caninum appetitum. Valescus de Tarantâ lib. IV Practicae medicinae cap. 6, ubi ait: *Caninus appetitus est fames inordinata et insatiabilis.* Cap. 7 autem: *Bolismus est fames membrorum cum satietate stomachi.*"

123. Barthius: *fecerunt medici de consumptore voracem*, qua mutatione haud opus; v. Praefationem.

125. De producto pronomine *hic* v. ad Amph. 209. Cf. infra vs. 225.

134. Barthius p. 2237: „*Graves animos*, afflictos, moestos. Est Germanismus seu Francismus, ut etiam illud superius *si quid male sentis.*"

Insanire doces hominem; quae monstra videret,
si sese miserum resciet esse miser.
Qui miser est errat, si se putat esse beatum;
nec quisquam ignota sorte beatus erit.
Ne mea verba frequens turbet responsio! Namque
qui tacet est melior: dicere disce tacens.
Fac rogo ne dicas, preme voces, utere rebus;
exhibeas opere, quod ratione doces.
Multa quidem dixere Dei, sed pauca dedere;
quam facile est cuivis dicere, facta gravant.
Ordinis aeterni series angustat et arcet;
res Iovis edicto quaque iubentur eunt.
Ordinis est ordo: qua mentem respicit, haeret;
qua resolutus abit, ut moveatur habet.
Implicitum mentis ratus explicat ordo; vagatur
hac errore vago, nec sine lege meat.
Sic plicat implicitum, sicque explicat ordo beatus,
cuncta bonus misere, quod locus omnis abest.
Nunquam rebar ego, quod Lar Platonicus esset.
Qui docuit Superos Plato beatus erat.
Si teneat res quaeque locum, feliciter errat;
sed quid erit, miserum si tenet illa locum?
Quo tibi plus medeor, aegrescis durius inde;
utque magis doleas, nostra medela facit.
Arte manus medicae crescit dolor ut minuatur;
quo magis urgetur, et minus ulcus obest.

---

145. Sunt Queruli verba.
152. Ed *exibeas.*
157. Ed. *eret* pro *haeret*, iam monente Grutero neque improbante Barthio, quamquam hic et *errat* legi posse monet.
159 et 160. Barthius ita scribi et distingui vult:
Implicitum mentis ratus explicat ordo vagatu,
hoc errore vagus nec sine lege meat.

Sors tibi mutatur ut tu muteris et illi;
   quoque tibi placeas, displicet illa sibi.
Protraxit miseros fallax promissio divum,
   nec rata, nec stabilis, nec bene digna fide.
Ut sua dent homines, semper sperare iubentur,
   donec spem vanam res male lapsa probet.
Reddere lentus erit hilaris promissor, et audax
   ad promissa parum credulitatis habet.

Exierat Lar a laribus Querulumque querentem
   questibus exponit, cesset ut inde queri.
Decrescit dolor ad gemitus, sed clausus abundat;
   plus irae quotiens clauditur ignis habet.

Edomitus longo Queruli pater orbe viarum;
   urgebat Lachesis in sua fata manum.
Mortem invitabat adiuta labore senecta.
   Proxima mors servo credere cuncta iubet.
Servus adest dominumque senem circumvenit, ambit,
   palpat et officii sedulitate capit,
non quod amet, sed ut emungat: sic scilicet e re
   secretove aliquo non bene servus amat.
Assedit. Dominus, nosti, mi Sardana, dixit,
   quod tibi non dominus, sed pater ipse fui.
Non volui, ut solitum est dominorum vulgus, abuti
   imperio in servum, nec mihi servus eras.
Ergo quidem merui, quod tu devotior esses,
   utque tot empta mihi sit tua firma fides.

177. Ed. *letus*. Quod edidi *lentus*, debetur Barthio Adversar. XLVIII, 20. p. 2275, qui praeterea etiam *at* pro *et* scribit; neque probo, quod *audacem* eum interpretatur, qui multum diuque audiat: immo referendum ad promissorem ad promissa quaecunque proclivem.

Cum sit opus certave fide, studiove tenaci,
  secretove alto, collige, cuncta scies.
Aede mea qua parte Laris premit angulus aram,
  olla fidelis habet mille talenta mihi.
Damnavit misero me sors herede parentem;
  nec quisquam peior filius esse potest.
Non equidem timui natum, quod prodigus esset,
  sed quoniam temere quod gerit ille gerat.
O utinam sciat ille tenax aut prodigus esse;
  cum sit utrumque malum, non mediocre iuvat.
Cum vitium sit utrumque, tamen nos utimur illis.
  Nullus amicitias, urget avarus opes.
Urget maerorem commissa pecunia stultum.
  Paupertas cohibet; dum caret, inde sapit.
Quae vetat expleri res parvula, displicet error;
  copia stultitiam quam parit, illa placet.
Evasit Querulum commissa pecunia terrae,
  atque fide nati tutior olla mihi.
Nos peregrinantes iam septimus invenit annus.
  Absumus a patria; tarda senecta nocet.
Heu miror talemque locum mihi funeris esse;
  nec de communi conditione queror.
Lex ea naturae: solvi sociata necesse est;
  dispensat sedem funeris ira Deum.
Dulce mori in patria, dara dulcibus oscula natis,
  sortiri heredes, ponere cuique suum,
coniugis illabi lacrimis humerisque parentum,
  ignibus imponi matre tenente facem.

---

208. Pro *nullus* Barthius l. c. p. 2277 *luxus.*
211. Haec ut non satis concinna vitio laborare videntur.
213. An *elusit* pro *evasit?*

Funeris hic ordo est; haec sunt solatia mortis,
si non pulchra satis, qualiacumque tamen.
Sardana, te solum mihi sors irata reliquit,
meque tuo officio mater habebit humus.
Mordeor heredis cura, quo vivat honestus,
quod per eum vita nostra superstes erit.
Quo minus est sapiens, cavi studiosius illi
et caveo. Pietas me iubet esse patrem.
Forsitan ut saperet, et doctor et usus et aetas
impulit, et super haec ingeniosa fames.
Si neque sic sapiat, melius perdetur in illo
res mea quam lateat divite semper humo.
Res eget indicio teque indice filius heres.
Mille talenta feret; tu tibi sume decem.
Servitiique iugo te libero; liber abibis.
Sardana qui fueras, a modo Paulus eris.
Sardana, liber eas et eas feliciter oro,
et mihi quanta tui sit tibi cura mei.
Haeserat in lacrimis. Fletu mentitur amorem
Sardana. Flent ambo. Gaudet hic, ille dolet.
Excipit urna senem. Turbatur funeris ordo;
impercurato funere servus abit.
Quam male servus amat! Timor absit, cessat amare;
non amat ut timeat, sed timet hic ut amet.
Aere superbit heri, spes Sardana concipit amplas,
iam liber, iam non Sardana, iamque suus.
Quam male divitiae servi famulantur in usum!
Servus enim locuples aspide peior erit.

---

240. *a modo*, si genuinum, insolenter dictum est pro *modo*.
246. In v. *impercuratus*, nisi potius *improcuratus*, haud magis haerendum quam in v. *impraeconsultus* vs. 340 vel in v. *irrediturus*, Amph. 80.

Dum reducem tenet ille viam spatiumque locumque
sufficit, hoc sibimet consulit ille modo:
Sardana, sorte nova felix felicius aude;
spes nova sors renovet, ampliet ampla tuas.
Res angusta vetat, ne quis sublimia speret.
Res senis accessit, re fruar. Ille iacet,
Et iacet et iaceat. Certe nil aequius aequi
dispensant Superi, quam quod avarus eget.
Vixerat ille mihi; bene temperat omnia fatum.
Proderit ille alii, qui suus hostis erat.
Gaude quisquis eris, ne post te gaudeat heres;
utere quas nutris, alter habebit, opes.
In locuplete domo Querulus mendicat et aurum
non sibi custodit, non sibi dives eget.
Dum potuit pater esse pius, fuit impius illi,
seque pium perhibet, dum nequit esse pius.
Ad libitum partitus opes, de mille talentis
particulae heredem me iubet esse senex.
Non bene partitur. Sed non sum Sardana, si non
emuncto Querulo mille talenta feram.
Quem timuit violare senex, sacratus acervus
non cadet in partes; frangere sacra nefas.
Laesa fides confert; solis est aequus iniquis
Iupiter, et Superos qui timet, ille perit.
Decipiet Querulum mentiti nominis error;
non ultra dicar Sardana, Paulus ero.
Paulus ero, Pauli Romani consulis heres;
sub titulo Pauli Sardana clarus erit.

---

258. Ed. *refuar*, vitio fortasse operarum.
275. Gruterus confert Martial. IV, 21. Aptius conferetur poeta ipse secum, Amph. 391. 392.

Cognita vilescunt; qui non est notus amatur;
ut sis ignotus hoc age; carus eris.

LIBER II.

Reddiderat patriae servum lux septima. Noscit
quod cupit esse piger; spes bona posse facit.
Excipit ignoti noctu domus hospitis illum;
Sardana sollicite ne videatur agit.
Se studet esse alium naturamque alterat arte;
quaque iubet facies et color oris eunt.
Lascivit nutrita diu coma iussa vagari,
atque humeros ausa lambere colla tegit.
Descendunt humeri cervixque elata laborat
altius educta, iussa tenere caput.
Pectoris ille modus solito propensior exit;
auro mendaci dextra superba nitet.
Empta senis spoliis nova divite vestis amictu
luxurians membra luxuriare iubet.
Sardana iam dubitat, utrum sit Sardana, seque
forsitan ignoret, si sinat ipse sibi.
Romani genus et linguam praeponit Achivae;
interdum quaedam barbara verba sonans,
non intellecta Diis et mortalibus audet
fingere. Plus ideo credulitatis habet.
Gnathonem Cliniamque dolis convenit amicos;
per quos dispensat quem parat ille dolum.
Vos, ait, elegi, quos contulit usus amicos,
ut mea per vestram cura levetur opem.
Propositumque modumque loquar; modus altior alter
si fuerit, vestra calliditate fruar.

Morte pater Queruli victus suprema fateri,
aede mea, dixit, mille talenta latent.
Portio prima tibi centesima fiet acervi;
in Queruli iura quod superabit eat.
Sed potius peream, potius ferat ille vel alter,
quam Querulus studio cesset egere meo.
Nos ad opes nos invitat fortuna: sequamur;
ad lucra perfacilem praebuit illa viam.
Quod putat oblatum, ne post de sorte queramur;
unde parentur opes, quaestio nulla movet.
Nunquam deterius furtivum venditur aurum,
partaque legitime non magis aera nitent.
Fortunam Querulus questuque odioque fatigat,
deque sua sorte non sinit ipse queri.
Quilibet impatiens miserae mala sortis acerbat;
sors, male si pateris, fiet acerba magis.
Fingite me talem, quem sors audire minantem
horreat, et magica qui sit in arte potens;
qui piet adversam sortem, quique imperet astris,
carmina qui Superis imperiosa facit.
Credulus est Querulus sub nomine sortis iniquae;
exibit nostra nobilis olla manu.
Sed tamen et caute: quia fraus nisi fraude tegatur
nulla valere potest; ars perit arte carens.
Qua maris unda furens angustat Palladis arces,
alter; ab adverso dirigat alter iter.
Ante domum Queruli gressus sic temperet alter,
et quasi festinus obviet alter ei.
Advenisse magum dicatur, ut audiat ille,
arte tamen, ne res arte putetur agi.

---

320. Malim *dexterius*.

Res caret illa fide, quae praemeditata videtur;
impraeconsultum dicere vera putant.
Gnatho, sat est, dixit, summam dixisse; nec ultra
Gnathonis virtus ut doceatur eget.
Rem teneo. Si qua melior via, singula promat,
nec superest nostrae deligat artis opus.
Sardana, dum tribuant Gnathonem posse mereri
et quos participes ad tua lucra vocas,
dum Querulum elicio domibus, tu sedulus ipse
quem te mentimur ut videaris age.
Fortunae ludo respondeat; ora coaptes
assimilativis fallere dicta modis.
Sit persona magi, Romani lingua, potentis
vultus, philosophi, sermo, studentis opus.
Praesentet numeros abaci tibi pagina mendax,
et coram libros ut studiosus age.
Derogat hoc fidei, male cum sibi facta cohaerent;
non tam vera fidem quam quasi vera iuvant.
Sardana sublimi solio, Gnathone ministro,
tollitur, occultus interiore domo.
Castigat formatque hominem. Sic ergo loquaris:
sic tibi, sic Querulo, sic mihi, sic aliis.
Pauca loquaris age; qui garrit, ineptus habetur.
Qui sapit, ille parum garrulitatis habet.
Interdum cartas oculis ita respice binis,
ut totum ex cartis te putet ille loqui.
Scripta fidem firmant, commendat pagina verum.
Falsa putabuntur, quae sine teste geris.

---

340. De voce *impraeconsultus* v. ad vs. 246.
345. Legendum *tribuat*, quod ad Querulum referatur.

Tu quoque, mi Clinia, qua muros urbis et arces
Palladis angustant aequora, carpe viam.
Hac breviore via gressus dimetiar. Ista
mecum discutiam; verba stupentis erunt.
Occurres et quid stupeam cognoscere quaeres.
Celabo; orabis. Dissimulabo; premes.
Irascar; magis instabis. Iurabo, minabor;
tuque magis iures, et magis adde minas.
Litis erit species. Querulus tunc litis amator
postibus haerebit, singula nosse volens.
Acrius insistes. Prece tunc quasi victus amica,
ut secretum habeas, tutior esse volam.
Nec dubita iurare deos; hic est modus ille,
haec via, qua Querulus decipiendus erit.

LIBER III.

Dicta placent. Clinia sequitur dispendia; Gnatho
ad tectum Queruli rectius urget iter.
Mentiri sua fictitium iubet ora pudorem,
et quae sunt stupido consona verba facit.
Nunc vocem, velut audiri timeatque velitque,
tollit; nunc humili temperat ora sono.
Non una natura manu mortalia quaeque
emetitur, ait; haec premit, illa beat.
Excoluit natura hominem studiosior omni
dote bona, circa cetera pigra magis;
nec genus humanum studio pensavit eodem.
Nos probitate illis illa perire dedit.
O regio felix hominum, cui gloria cessit!
Regna tulit mundi Roma beata viris.

Quam bene Roma potens et quam male Graecia pauper!
Semideos homines Romulus orbis habet.
Certe credibile est, Latios genus esse Deorum,
seque suis faciles exposuisse Deos.
Cur vel Aristotelem, vel quid Platona vertimur?
Non tulit huic similem Graecia tota virum.
Tam ventura canit quam quae fluxere vel instant;
scit melius Iove, quid Iupiter ipse velit.
Nil improvisum pensavit Iupiter ultra.
Sic genus Aeneadum comprobat esse Deûm.

Haeserat ad postem Querulus, iam semireclusum;
ne taceat Gnatho, denuo claudit eum.
Et quid, ait, sibi vult, quod ad omnes oris avari
Gnatho nescio quem comprobat esse probum?
Vix ego credideram, quod posset vel semel hostis
humani generis praeter inepta loqui.
Quo pacto linguam sic castigavit et ora,
quoslibet obprobriis docta notare novis?
Dedidicit prava, vel munere victus amico,
vel quod ego melius fuste minisque putem.
Provocat ut laedat, qui dat nebulonibus. Urge;
laudabunt. Acuunt dona; flagella domant.
Quicquid commendat, ego commendabile credam;
laus plus quam vera, quam dabit hostis, erit.

Gnathonis Clinia mensus dispendia cursu
tempestivus adest et iuvat arte dolum.

---

405. Non dubitavi vocem Gruteri coniectura repertam, quam etiam Amph. 295 restitui, suscipere. Ed. *semiclusum*.

407. Ed. *omnis*.

Dic, ait, o Gnatho, quis sit, quem laudibus effers,
 et cur Romanum nomen ad astra feras?
Egregiumne aliquid fecit Romana iuventus,
 quo sibi perpetuae munera laudis emat?
Scilicet huic curae, respondit Gnatho, vacamus;
 longe alia in nostro pectore cura sedet.
Nec mala me Romana iuvant, nec prospera laedunt,
 nec moveor damnis, non mihi laeta placent.
Sunt secreta mihi, secretaque dicere non est,
 quorum participes contigit esse Deos.
Instat ei Clinia. Dic, optime, dic precor, inquit,
 et secreta refer, utile si quid habent.
Teque tuo partire tibi, nec te mihi cura;
 alteret iste Deos, quos negat unus amor.
Nulla hominum fortuna beat, nisi conscius alter;
 tectaque laetitia gaudia nulla parit.
Si sit opus praecone, tubas et cornua vincam;
 si taceo, saxa: quaeque iubebis ero.
Gnatho refert: nec homo sibimet, satis esse fidelem,
 saepius esse potest, nec satis esse tenax.
Saepius obliti quaedam dixere tacenda,
 et nimius linguae perdidit usus eos.
Effluet in medium male res commissa duobus,
 ni taceat; linguae prodigus alter erit.
Si res ista parum, vel si nihil utilis esset,
 forsitan ex facili vel tibi dicta foret.
Utilitas iubet ut taceam; mihi contigit uni.
 Commodus ipse mihi, nec meus hostis erit.
Quod cadit in partes, minus et minus utile fiet;

---

433. 434. Haud satis integra arbitror.
448. Malim *ero* pro *erit*.

quo maior numerus, et minor usus erit.
Maior, ait Clinia, subrepsit, amice, voluntas,
ut tuus inventi sim comes ipse tui.
Dissimulat Gnatho, tanquam discedere vellet.
Hic rogat, ille negat; hic abit, ille tenet.
Aut dimittis, ait, aut est Gnathonia virtus
per caput atque humeros experienda tibi.
Nec minor est virtus Cliniae, responderat ille;
expertus Cliniam vel semel, horret eum.
Sed quia nil facio precibus, nec cogere nostrum est —
Non lite me vincis, sed prece, Gnatho refert.
Mira animi natura mei. Vis viribus uti,
nesciet audire; vis prece, mollis erit.
Nec labor Herculeus, nec Caesaris ira moveret,
quem vel continuo lenia verba movent.
Ut tibi iam referam, quae me fortuna beavit,
ut secretum habeas, tutior esse volo.
Aetheris, ille, Deum natumque Coronide iura,
quo nullum maius Graecia numen habet.
Erigitur Querulus et postibus applicat aurem,
totus in auditu, ne sibi verba labent.
Seria res agitur, dixit, garrire paratus,
cuncta vel invito vix prece cessit ei.
Ergo scies, Clinia, subiecit Gnatho, quod omni
numine prosperior sors mihi scire dedit.
Huc absiste tamen, ne postibus haereat ille,
qui rem furtiva subbibit aure sibi.
Haerentem Querulum providerat. Ille reductus
destitit a poste versus uterque latus.
Scis, ait, o Clinia, quam me male pressit egestas,
quam male. Quam longo tempore finis erit?

Finis adest duris; etiam si vellet egere,
non ultra Gnatho posset egere tuus.
Obtulit huic urbi nova sors hominemve Deumve
nescio; paret homo corpore, mente Deus.
Non voluit natura hominem tot tantaque scire;
quid pensent coeli numina, nescit homo.
Servit ei coelum; fatorum strennus ordo
expectat, quod eum currere cogat iter.
Iste Iovis mentem novit Iove certior ipso:
quid pensent Superi, quid nova fata parent.
Castigat mentem Iovis; invito Iove multa
esse iubet. Sic est Iupiter ipse Iovi.
Nec magus, at magica magis est ars ipse putandus;
ars nihil huic, sed ut ars ipsa sit iste facit.
Nec novit tantum, quid cras respondeat, aut quid
vicinum praesens alliget hora sibi:
sed semota magis quid cogitet hora, quid annos
differat in mille Iupiter ipse, tenet.
Quid te plura moror? Si secula nostra Deorum
essent, hunc Gnatho crederet esse Deum.
Carminis ignota virtute potentis iniquam
expellet sortem qualibet ille domo;
nec damnata semel volet aut erit ausa reverti,
sed domus aeternae prosperitatis erit.
Huc rapiebar ego, quia vis in munere magna est,
ut quovis empto munere venit eum.
Sumit amicitiae virtus in munere vires;
lingua favet donis, munera peius eunt.
Scire velim causamque viae patriamque virique
nomen, ait Clinia. Singula Gnatho refert.

---

506. Perobscura haec, vix sana. An *vener* legendum pro *venit?*

Paulus ei nomen, et Paulo consule natus
nobile sublimat nobilitate genus.
Summa Deûm sedes, magnorum patria regum,
Roma sui civis provida misit eum,
ut doceat Graecos et ut ultra debeat artes
Graecia Romanis. Debet et ultra duces.
Exarsi, Clinia respondit, amore videndi.
Sors bona Romanum numen adesse dedit.
Si tibi dulce meum quicquam fuit, aut erit unquam,
vel saltem videam, fac rogo. Gnatho refert:
Nulla erit invidia. Sed nunc volo gaudia penses
aevi felicis, quae nova fata dabunt,
cum numerus comitum, cum nos gemmata verendos
purpura reddiderit redderitque novos.
Risus erit noster; erit ammiratio plebis.
Si cuius crescit copia, crescit honor
Urget eum Clinia; Gnatho concessit. Abibant.
Fortuna, Querulus, hac, ait, utar ego.
Prosiliit et praecipitem tulit impetus illum
in caput; offenso volvitur ille pede.
Gnatho suo Cliniae ridens ait: omen habemus;
concidit in laqueos praeda petita meos.
Gnatho mane, clamat Querulus, mi Gnatho maneto.
Dissimulat. Cursu concitus aequat eos,
et dextra Gnathone manu Cliniaque sinistra
arreptis orat multiplicatque preces.
Me quoque participem non invideatis, amici,
cui mea calliditas omnia scire dedit.
In Cliniam Gnatho vultu conversus atroci

---

529. *Prosiliit* dixit pro *prosiluit* exemplo Petronii 106.

dixerat hoc, Clinia pessime, Gnatho tibi.
Vae tibi Gnatho miser, tibi cum fortuna laborat;
prospera Gnathoni cum cupit esse nequit.
Impedio mea fata miser, mihi maximus hostis.
Haec Cliniae peperit damna nocivus amor.
Et quis, ait Clinia, sibi talia furta timeret?
Nec nocet adiunctus tertius iste comes.
Non nocet? Heu facinus! In te cadat ira Deorum!
Hac ratione comes quartus adesse potest.
Scilicet in turbam latius miracula fundet,
credita vix pretio, vix prece dicta tibi.
Omne bonum, Querulus, splendescit clarius, inquit,
illius quotiens fusior usus erit.
Effuge, dira lues! Hic ad proverbia natus,
verborum ambages ad maledicta vomit.
Gnathonis Clinia sermonem mordet amarum.
Cur, ait, obiecto crimine laedis eum?
Noster hic est. Parce saltem mihi, si miser iste est.
Mutavere brevi tempore fata viam.
Accidit audiri, quae diximus; accidat uti.
Forsitan hic fiet utilis ipse comes.
In turba nullus fastidiet esse magister;
quo plures aderunt, et sibi maior erit.

LIBER IV.

Placato Gnathone domum, quam Sardana servat,
iunctus ei Querulus praeda comesque praeit.
Sublimi solio residentem Gnatho salutat.

---

540. Verba haud satis perspicua.
560. Ed *his*.
564. De correpta prima v. *praeit* v. Praefationem Cf. infra vs. 615.

Paule, tibi, dixit, a Iove manat honor.
Ignotam notae confundit Sardana linguam
verbaque duplicia more bilinguis ait.
Consedere procul pro maiestate verendi
nominis, et tacitos numinis horror habet.
O iuvenis, iam fata sequar tua, Sardana dixit,
iamque artis patiar prodigus esse meae.
Ut mage te noscas, Querulus tibi nomen, iniqua
fata; fames servat atria; patre cares.
Pantalabus tibi servus edax et futile monstrum,
qui satur esuriat, qui sit et ipse fames.
Extremam primamque domum geminae Laris arae
impediunt; totus lar vacat ille Lari.
Ergo larem totum sibi Lar possedit, ut esset
in lare prosperitas, si foret ara Laris.
Lar nihil est. Finxere Deos trepidantia corda
Aut miser aut felix lar erit arte mea.
Quem nudam victura domos vestit Laris aram
terra tumet modicum: pessimus ille locus.
Pessimus ille locus, Diis detestabilis ipsis;
quem timeat vel Lar, si sit et ipse Deus.
Iam genesin deprendo tuam, vel quod tibi signum.
accidit, aut vel quid mundus in astra tulit.
Humidus Aegoceros, qua linea solstitiorum
praecipitat Cancrum, primus agebat iter.
Rex Orientis erat, quem Faenona dicimus; illi
Scorpius in cauda spiron adesse dabat.
Faetontem sol retrogradum vibratus agebat,
et Venus a Libra pulsa iacebat hebes.

---

583. 584. Contorta haec et vix integra.
591. *Phaenona*, Saturnum.

Sic tibi nascenti coelum responderat iram
mortis et infelix Faenonis omen habes.
Vim facio stellis; castigo carmine fata.
Omnia gaudebunt arte piata mea.
Divino Querulus stupet et putat ore loquutum,
et, tibi sum melius quam mihi notus, ait.
Sed rogo te, Paule, Romanae gloria gentis,
arte tua Querulus desinat esse miser.
Obsecrat hoc Clinia; Gnatho submissus adorat;
insistit Querulus. Vincitis, inquit eis;
vincitis et faciam sint haec miracula prima,
quae Latius Graio Paulus in orbe dabit,
ut celebris Graium currat mea fama per orbem,
Paulus et in vestro floreat orbe potens.
Tu tamen, o Querule, quae nunc ego dictito verba,
tuque simul Clinia, tu quoque Gnatho, tene.
Carmina vim perdunt, postquam confunditur ordo;
imperium verbis demit adempta fides.
Ordine carmen eget et credulitate iuvatur;
haec nobis species credulitatis erit.
Pes praeeat dextra, nec tangat limina cuncta;
iussus agat Querulus, nec nisi iussus agat.
Gnatho verba meo prolapsa resuscitet ore,
attollatque sonum carminis ille mei.
Nesciat hoc vel Pantalabus discatve tacere;
in dubiis rebus quilibet omen habet.
Surgitur et studii mentita volumina vultum
ausa est Gnathonis tangere sacra manus.
Tollere iussus erat Querulusque praeambulus hostes
utiliter stultus ad sua tecta vocat.

---

618. Ed. *illa* et mox. vs. 630 *hypocrita*.

Ostia prima patent. Prece Sardana limina munit,
adiuratque Deos, signaque ponit humi.
Stare pedes, cessare manus atque ora silere
innuit ut iubeant; Gnatho sibique iubet.
Deiiciunt vultus et toto corpore parent;
talis in hypocritae est relligione color.
Limine munito, ficta prece Sardana clamat,
ut dextrum laribus intulit ille pedem.
Omen in aede bonum, dixit. Quem Gnatho sequutus,
intonat exclamans: Sors inimica fuge.
Sors inimica fuge, subiecit Sardana. Gnatho
excipit exclamans: Sors inimica fuge.
Per dextrum laevumque latus circumque supraque
Sardana vestigat, quo latet olla, locum.
Deprendit spatium terramque a cornibus arae
metatam longe praecipit ille fodi,
ne vel relliquias tumulatae sortis iniquae
non circumquaque fossa reservet humus.
Impegit terrae Gnathonia dextra ligonem
et tellus Cliniae viribus icta gemit.
Sardana, mi Querule, fac istis arca paretur,
si vacua est; si non, evacuetur, ait.
Immo, inquit, omnis: nisi forte, quod aëre plenum est,
esse neges vacuum, plenaque cuncta putes.
Nil vacuum est; levitate sua circumfluus aër
non patitur vacuum vel semel esse locum.
Ut nullum excludit, ita nulli excluditur aër,
sed meat occultis corpora cuncta poris.
Nescia densari facit haec substantia, nullus
aëris ut teneat plusve minusve locus.

Nec fugit apposito, nec adempto corpore abundat.
  Res urgetur. Adest arca. Paratur opus.
Ne videat Querulus, avertitur. Excipit ollam;
  arca seratur. Eam ferre iubetur. Adest.
Elatam a Querulo, Gnathonis eam Cliniaeque
  excepere manus. Sardana monstrat iter.
Monstratum rapiunt. Querulum, quid restet agendum,
  instruit, et brevibus, ne mora laedat eum,
sic ait: Hinc procul omne malum est, et sors mala fugit;
  non erit ulterius illa timenda tibi.
Attamen admoneo: claude ostia, claude fenestras,
  obiice liminibus robora, pone seram;
si qua patet Phoebi radiis, hanc obstrue rimam,
  ut vel Phoebo aditum rimula clausa neget.
Armatus defende larem. Si quid strepit usquam,
  huc ades et clames: Sors inimica fuge.
Importuna lares volet illa revisere notos;
  ergo haec continuis quinque diebus agas.
Iussa facit Querulus. Gnathonem Sardana cursu
  assequitur; relegit devia, turbat iter.
Ut satis esse procul, tutas satis esse latebras
  promisere, sedent; terra recepit onus.
Olla tenetur eis titulumque tenentibus offert,
  quo mentita fuit funeris esse locum.
Mirantur titulumque vident, titulumque videntes
  non vidisse putant, quod stupor omnis habet.
Scripta leguntur eis, dubitantque an scripta legantur,
  et qui scripta legit, addubitat ne legat.
Vera timere timent, nimiumque parumque fideles
  sunt sibi. Spes prohibet, scripta timere iubent.

675. An *tutos-latebrae?* nisi ad *promisere* intelligas *sibi.*

Quilibet in quemvis fixis obtutibus haeret,
et velut elingues attonitique sedent.
Sardana, quid sibi vult titulus, qui nominat ossa?
Ergo, ait, ignoro, Sardana dixit ei:
tu, cui nota magis est littera Graeca, videto
et tituli verba perlege, Gnatho legit:
Ossa Tipericii Tiperi patris haec tenet olla,
condita cum nituit Caesare Roma suo.
Rem teneo meminique senem, mi Sardana, dixit,
hoc dixisse semel, haec patris urna mei.
Sed quia sola solet secreta recludere mortis
hora, senis fuerant credita verba mihi.
Sive dolo, seu nos aliam deprendimus ollam,
sive ut desiperet, fecerat ille dolor.
Vae mihi! Sperabam felicia tempora; cogor
ponere spem. Capta est fraus mea fraude senis.
Vae mihi, qui spatia terrarum immensa cucurri,
ut labor iste daret ossa legenda mihi!
Spes minuebat iter; et, spe fallente laborem
quicquid dulce fuit, spe pereunte gravat.
Gnatho patere iubet, quicquid celatur in olla,
ne vel in errorem temporis error eat.
Ictibus oppositis venientem Sardana dextram
sustinet, et, quid, ait, ossa videre iuvat?
Funeris esse fidem dant argumenta sepulchri;
non impune suo moveris ossa loco.
Manibus ira sua est qua laesae sustinet urnae;

691. Ollae Queruli Plautini inscriptum fuit:
TRIERINUS TRICIPITINI FILIUS CONDITUS ET SEPULTUS HIC IACET.
699. Ed. *ve*, et sic constanter. V. ad Amph. 79.
711. Haud sana videntur. An forte *quae laesam sustinet urnam?* Sed praestat quod Barthius ad vs. 56 voluit: *quae laesae sustinet urnae poenas; has* etc.

poenas has sceleris exigit umbra memor.
Utilius reputo, quoniam sperare vetamur,
ut subeant sterili gaudia longa spei.
Confinxi Querulo fortunam velle redire;
ne pateant aditus, credulus arma tenet.
Qua lateri paries extremus deficit et se
non bene contingit, incidat olla lari.
Accurret Querulus irasceturque sepulchro
atque atavi tumulum nesciet esse nepos.
Omnia perdidimus; sed et haec tamen omnia nil est.
Spem probat eventus; damna fuere spei.
Ludicra curemus post perdita lucra; secundam
vim delectandi post lucra ludus habet.
Error in errorem crescit; fraus fallitur ipsa.
It dolus in fraudem; sit dolus ipse dolus.
Fiat, ait Clinia; Gnatho favet. Ergo reditur,
missaque per rimam fecerat olla sonum.
Fracta minutatim furatum transtulit aurum
in ius alterius, quod fuit ante suum.
Pantalabus, cuius curae custodia partis
cesserat illius, huc ades, inquit ei.
Ecce reportata cum multo foenoris usu
aurum quod tulerant, rettulit olla tibi.
Plus fecere Dei, quam quod sperare liceret.
Fraus fallit fures; stant tua tuta tibi.
Aurum colligitur; numerantur mille talenta.
Auri tutelam firmior arca capit.
Mens ad laetitiam Queruli non sufficit; infra
materiam remanent gaudia saepe suam.

720. Vitiose Ed. *mnavi* pro *atavi*, et mox vs. 731 *Pantalabum*.
723. Ed. *curremus*.

Ergo minus Querulus quam sint sua gaudia gaudet,
atque in laetitia deficit ipse sua.
Sardana, qua recipit oblatum rimula visu,
dum sibi vestigat ludicra, damna videt.
Hei mihi! clamabat; aurum latitabat in olla.
Hei mihi! Decepta est fraus mea fraude mea.
Heu mendăx titulus! Cur ossa vocaverat aurum?
Hypocritae tituli fraus mea fraude perit.
Vae mihi, vae Cliniae, vae vae tibi, vae tibi Gnatho!
Iam sine vae nobis non erit ulla dies.
Confusi stupuere; dolent. Dolor exit in iram;
fraudis in auctorem debita poena redit.
Hostes invenit sibi quos speravit amicos
Sardana. Non una fugit uterque via.
Laetus adest Querulus. Quis, ait, delitigat istis,
nec mea turbare limina lite timet?
Fecerat audacem fortuna; superbia crevit.
Sic animi fiunt ad nova fata novi.
Sardana spectatur, cultusque ambage remota,
exuiturque mago; Sardana verus erit.
Exhibitae fidei poenas luo, Sardana dixit;
aurum consilio reddidit olla meo.
Se facit ignarum Querulus, quasi nesciat aurum.
Quas canis ambages? Quid mihi garris? Ait.
Sardana tune meus, tune ille es Sardana, patri
et comes et servus auxiliumque viae?
Ille ego sum, dixit, tibi missus, ut olla reposta

---

742. Pro *sua* fortasse *sibi* legendum.

743. Federus coni. *obliquum rimula visum.*

760. Recepta lectio Gruteri coniecturae debetur. Ed. *exuitur ymago.* Tolerabilius utique geminatum illud *que* foret legendo *exutusque mago Sardana* etc.

redderet indicio mille talenta meo.
Monstravi primo, quoniam te fallere possem;
sic in promissa est fraude probata fides.
Arbiter inciderat liti. Cui Sardana, nostris,
o bone, iudiciis arbiter, inquit, ades,
arbitrioque tuo defensio nostra quiescat;
et ius et fidei praemia pende mihi.
Victus morte senex, habeo, mi Sardana, dixit,
ollae commissa mille talenta domi.
Tu tibi sume decem; Queruli sint cetera. Tempta,
si vel adhuc didicit providus esse sibi.
Furto deme prius, furataque redde talenta;
passus damna semel cautior esse solet.
Cognita sollerter, temere nescita cavemus;
qualiter evadas, scita pericla docent.
Furor, reddo, fidem conservo senique tibique,
sed furando seni, restituendo tibi.
Fraus fuit absque dolo; fit utrumque fidele. Probata est
in furto pietas, in pietate fides.
Arbiter emeruit Querulum. Tua, Sardana, dixit,
fraus sine fraude; fides est tua digna fide.
Vera putat Querulus; in partem Sardana venit.
Fert lucra ficta fides. Lis cadit; acta placent.

---

770. Fortasse *permissa.*
774. Ed. *mei.*
790. *Acta placent.* Eadem phrasis supra vs. 10. Hinc eandem mutuatus videtur Matthaeus Vindocinensis, quem altero certe Vitalis carmine usum esse in Praefatione demonstratum est, in Aldae comoedia, cuius fragmenta vulgavit Endlicherus Catal. Codd. Mss. Bibl. Vindob. T. I. p. 146.

CORRIGENDA ET ADDENDA.

AMPHITRYON.

Vs. 101. Malim nunc repositum *acre.*
191. Excidit initio nota *B* (Byrrhia).
264. Lege *reseras.*
413. Lege *desiit.*
495. Pro *iniquiter* legendum esse *Iupiter* Federus vidit; itaque lacuna nulla est.

AULULARIA.

Not. ad vs. 25. Falso exaratum est 27.
Vs. 80. Federus mavult *capere* pro *canere.*
119. Pro *iacet* Federus legendum suadet *patet.*
524. Pro *redderitque* lege *reddideritque.*
709. N. f. corrigendum *F. ecce f.*









